Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Klein von

Commentatio Ivridica De Resignatione Ivdiciali von der gerichtlichen Auflassung

Ob Praestantiam Recusa, Ienae: Apvd Io. Fridr. Schill, MDCCLI.

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1780201907

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1780201907/phys_0001
DFG

Vk. K — 2 (31.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1780201907/phys_0002
DFG

1, Hombergk zu Vach de usur. in ctract. iur. stricti sec. recess. deputat. de A. 1600. §. 139.
2, Hommel de eo, quod decreto non licet, licet tamen p indirectum.
3, Hoppius de edoci locustarum pnicie ad l. excepto temp. 18. C. de locat. et vendit.
4, Hornius de possess. universitatis et quomodo ab eadem possideatur.
5, — — de paribus sentent. iudicum et arbitrorum
6, Joachimus de differ. reprobat. a probat. actionis et exceptionum peremtoriarum
7, — — de cessione beneficii competent. et alimentor. exinde provenient.
8, Jenichen de efficaci mulierum testim. in codicillis tum rom. tum germ. iur.
9, Kaestner de dote a stupratore stupratae praest.
10, Klein de resignat. iudiciali.
11, Kress de aequitate.
12, — — de procurator. obligat. si fines mandati excedit. (in dupl. de A. 746. et 752.
13, — — de vor. controvers. in argumento possess. et iuramentorum.
14, — — de rat. decidendi in variis iur. et responsis.
15, — — de privileg. agriculturae apud Germanos.
16, Lischke de orig. et aequitate tacitor. hypothec. apud Romanos — cum Gribneri progr.
17, Loescher de probat. et demonstrat. cum Buderi progr.
18, Ludovici de conditionibus sponsaliorum impossibilibus.
19, — — de involucro
20, — — de iure consueto sine lege loquente.
21, — — de notario testes examinante.
22, — — de eo, qui post litem testatam bona impossibilia possidere desiit

10

COMMENTATIO IVRIDICA

DE

RESIGNATIONE IVDICIALI

von

der gerichtlichen Auflassung

AVTORE

IOANNE KLEINIO

I. V. D. ET PANDECT. P. P. SERENISSIMI PRINCIPIS MEGAP. CONSILIARIO INTIMO, NEC NON CANCELLARIAE IVSTITIAE, AC CONSISTORII DVCALIS DIRECTORE.



OB PRAESTANTIAM RECVSA IENAE
APVD IO. FRIDR. SCHILL
MDCCLI.

(8)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1780201907/phys_0005
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1780201907/phys_0006
DFG



CAP. I.

GENERALIA CIRCA RESIGNATIONEM IVDICIALEM, DEFINITIONEM TAM NOMINALEM, QVAM REALEM EIVSDEMQVE EVOLVTIONEM, DIVSIONEM, AC ORIGINEM.

Summaria.

§. I.

Ex Consensu Gentium sociali, ad usum et necessitatem communem respiciente omnis pene descendit Conuentionum nexus.

§. II. *Arbitrium circa res suas liberum expedit saepe iure ciuitatis limitari. Exemplum eius obuium Moribus est in* Resignatione Iudiciali, *vulgo* die Auflassung für Gericht.

§. III. *Non aliter dominium rerum immobilium pleno in accipientem iure transire, quam praeuia* judiciali Resignatione, *non est ex Gentium Placito.* Resignationis judicialis *hodierna solennitas juris Romani per omnia regulis haud conuenit. Redolere fere tamen videtur veterem mancipandi solennitatem, aut non multum effectiue ab illa differre.*

§. IIII. *Summa et aequitati et utilitate suffulcitur. Quod demonstratum datur ex collatione cum veteri mancipatione instituta.*

§. V. Resignationis *Caussa finalis traditur.*

§. VI. *Methodi Syllabum in capite primo exhibet.*

§. VII. *Etymologiam et Homonymiam*

§. VIII. Iudiciale *ceteroquin denotat omnem actum tam in judicio, quam extra illud, modo authoritate Magistratus gestum. Hic v. ad iudicium restringitur.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1780201907/phys_0007
DFG

§. IX. *Describitur* Resignatio iudicialis. *Vox* Actus *cuncta comprehendit, quae quouis agun-tur modo. Neque iure Saxonico, Neque Lubecensi valet extrajudi-cialis rerum immobilium alienatio, cius rationem exhibet.*

§. X. Resignationem judicialem *esse actum* contentiosae jurisdictio-nis *fusius probatur.*

§. XI. *Ad dubitandi Rationes respondetur. Sola* Resignatio *abs-que praeuia contrahentium conuen-tione nil operatur. Conuentio* abs-que Resignatione *tamen valida est.* Resignatio *affinis est actibus volun-tariae jurisdictionis.*

§. XII. *De* Resignatione jurium *ei priuilegiorum hic non agi docet. Ad rerum* mobilium *pleno jure transferendum dominium neque Iure Saxonico neque Lubec.* Re-signatio *necessaria est. Neque sine commerciorum impedimento ac Reip. incommodo Statuto in hisce rebus induci posse probatur. Com-merciorum utilitas maximum Reip. fulcrum est. Commercia omnis morae impatientissima sunt.*

§. XIII. *Alienatio* generaliter *accepta omnem includit actum, quo res a nobis in alium transire po-test.*

§. XIV. *Per jus, quod* resigna-re *debet alienans, intelligitur tam* minus plenum, *quam* plenum do-minium, *tam* partis, *quam* totius. *Nec excluditur* Fictum dominium. *Dominus per procuratorem specia-lia ad* resignandum *mandato in-structum recte* resignat. *Non aeque per Procuratorem totorum bono-rum* simpliciter *talem. An domi-nus per Procuratorem totorum bo-norum* cum libera *resignare possit, quaeritur.*

§. XV. *Desideratur in* Resigna-tio judiciali *potissimum Compoten-tia judicis ratione* rei et causae. *In* Resignatione *rei* allodialis *ju-dex competens est, judex* rei sitae. *In* Resignatione *rei* feudalis, *feudi dominus. Nisi super* Resignatione *inter Dominum et Vasallum lis sit, quo casu Pares Curiae judices sunt competentes.*

§. XVI. *Iure Saxonico ad* Re-signationem judicialem *omnibus numeris absoluendam tria requi-runtur.* (1.) Iudicialis Resigna-tio *et abdicatio.* Die Auflassung (2.) *Iudicialis traditio.* Die Ubergebung. (3.) *Iudicialis in-uestitura*

ueſtitura. Die Anweiſung und Belehnung. *Iure Lubecenſi ſufficit judicialis ceſſio* die gerichtliche Verlaſſung vor dem ſitzenden Rath. (4.) *Inſcriptio in Librum publicum*. Die Einſchreibung in der Stadt Erb-Buch.

§. XVII. *De diuiſione* reſignationis.

§. XVIII. *Originem* Reſignationis *alii veteri Quiritium juri adſcribunt. Fluxiſſe vero videtur ex jure Saxonico, indeque ad jus Lub. permanaſſe.*

§. I.

Conuentionum pene omnium, qui contrahentes ligat, nexum, ſocialem Gentium introduxiſſe conſenſum, communi juxta utilitate ac neceſſitate ſubnixum, ſana edoctus ratione ac temporum uſu jam olim agnouit. ICtus Hermogenianus *Lib. I. Iur. Epitom.* Cujus multis poſt annis Imperiali ſplendore illuſtratam ſententiam exhibet Diuus Iuſtinianus in *L. 5. ff. de I. et I.* indeque deſunto *§. 2. I. de I. N. G. et C.* At vero firmiter obligandi rationem, efficacem inter ciues parituram actionem, rerumque dominia valide in accipientem transferendi modum, ſedula Legislatorum excogitauit ſolertia. Didac. Cauarruu. *in c. Quamuis de Pact. in 6.* Gabriel. Vaſquez. *Opuſc. moral. de Teſtam. c. 3. Dub. 1. n. 11.* Martin. Bonac in *Theol. et I. V. D. Theol. Moral. Tract. De reſtit. et Contract. Diſp. 3. qu. 1. punct. 1. n. 3.* qui deſultatoriis non minus leuitatibus quam callidis hominum machinationibus obuiam ituri, publicae utilitatis, ad quam, ceu finem jurisprudentiae ultimum omnes leges collimant, quamque intendunt unice, quorum ſedula vel circa ferendas vel applicandas vel exequendas leges opera deſudat, Stryck. *in Diſſ. de Salut. Publ. Prooem. n. 5.* habita ratione, non in actibus ultimarum duntaxat voluntatum teſtantium liberum jure Gentium arbitrium certis ſolennitatem regulis incluſere, ſed et inter viuos rerum ſuarum in alios transferentium voluntatem Ciuitatum placitis limitarunt.

§. II.

Cujus ſicuti rei varia in jure Romano paſſim proſtant exempla, ita ſequentia ſubinde quoque tempora, aemula ſolertia Romanorum erga Ciues ſuos laudabilem curam adaequare cupientia, in variis juris articulis, interque illos praeprimis in alienationis negotio, non cuicunque, nec quomodocunque, de rebus diſponendi ſuis liberum reliquere arbitrium, quin aliud potius ſaluberrimis certorum locorum Statutis juri Gentium, imo et Romano non plene cognitis, prouidentiſſime coarctatur. Quorſum Moribus ac ſtatutis bene multorum locorum circa rerum immobilium alienationem ſalubriter introducta ac approbata Iudicialis Reſignatio vulgo die Auflaſſung vor Gericht et *alibi*: Die Verlaſſung zu Stadt-Buch-Schrifft jure ſane optimo refertur.

§. III.

Sicut enim extra omnem controuerſiae aleam poſitum eſſe remur, res immobiles alienaturum non aliter pleno jure circa illas ſuum in accipientem jure transferre ac deriuare valere, niſi *actis interuenientibus ſolenniter dominium ſuum reſignauerit*, id quidem ex communi Gentium placito, quibus ſimplicitas magis, quam ſcrupuloſa alienationis ſolennitas amica eſt, haud fuere; ita nec juris Romani hunc alienandi modum per omnia conuenire regulis, veterem licet mancipandi ſolennitatem, Romae olim tantopere commendatam, fere redolere, aut certe non multis ab eadem paraſangis differre videatur. Magnific. Meu. *ad Ius Lub. Lib. 3. Tit. 6. a. 1. n. 2.* nemo non, cui limitatiorem nobiscum vtriusque collationem inſtituere volupe, ipſa rerum euidentia victus ingenue fatebitur.

§. IV.

Nec tamen inde nulla hanc Reſignationis ſolennitatem ſuffulciri aut aequitate aut ciuium utilitate opinari fas eſt. Quemadmodum enim, quae olim Romae libripende et quin-

que

que testibus praesentibus certis verbis expediebatur rerum solennis mancipatio, qua de vid. Vlpian. *Inst. Tit. 19.* Paul. *2. sent. Tit. 17. et* Bœt. *in Topic. Cic. juncto.* §. 1. *I. de Test. Ord.* primam sapit aequitatis regulam, humanam in constantiam arctiori obligationis nexu ad conuentionis obseruantiam cum maximo Reipublicae commodo adstringentem; Ita, quo certius de contrahentium constaret voluntate, quoque validius ad illa, quae semel placuerunt, bona fide custodienda, obligarentur ciues, e commodo Reipublicae visum fuit, alienationes quarundam rerum jure ciuitatis non aliter ratas habere, quam actis interuenientibus alienaturus pleno jure dominium rei suae solenniter resignauerit.

§. V.

Hac quippe via, qua contractus, actus ac Ciuium conuentiones publicas inseruntur et vt barbare loquamur, ingrossantur actis earumque fide ac sanctimonia defenduntur, non solum maior certitudo fidei ac constantiae inde illis conciliatur, ut eo minus dissertationibus obnoxii sint, quo magis *iudicialis* istius modi *Resignatio* iis nititur documentis; quae fide ac iure digna ex authoritate publica censere decet, sed et firmum finiendae ac muniendae litigiorum amplitudinis praesidium caute quaeritur: Vt iam saltim summo tangamus digito, ex hac praeterea solennitate ipsum Publicum maiorem ac euidentiorem sibi comparare certitudinem posse, onera patrimonialia certis immobilium possessoribus imperandi Meu. *ad I. Lub. L. Tit. 6. a. 1. n. 15.*

§. VI.

Hanc ergo utilem non minus, quam aequam hodiernam *Resignationis* solennitatem pleniori tractatione admonitum ICti Pauli *in L. 25. pr. ff. De liber. leg.* et exemplum Vlpiani *L. 1. ff. Desusp. tut.* exsecuturi, ne τῆς ὑστερολογίας argui iure possimus, antequam ad describendam *Resignationis Iudicialis* indolem, eiusque deducendam originem prolabamur, dispu-

tantium inhærentes regulis de Etymologia, Homonymia, et Synonymia *Resignationis* pauca pro meliori Rubricae intellectu praefabimur.

§. VII.

Acceptum autem fert natales suos *Resignatio* verbo SIGNARE, quod idem est, ac signo notare, et praepositioni RE, quae inter varias, quas post alios fusius exponunt. *Faber in Thesaur. h. voce et Martin. in Lex. Philolog. eadem.* significationes verbo iuncta, eius, quo cum componitur, sensum plane contrarium infert, vt hinc RESIGNARE idem proprie sit, ac signatum aperire. *Vid. Martin. d. l.* et Caluin. *Lex part. RE.*

§. VIII.

Non eadem vero huius verbi apud Philologos et ICtos ubique est acceptio. (1.) Enim *Resignare* tam extra fori vsum, quam in iure nostro: *Fideliter obsignata iterum aperire ac soluere* significat. v. g. Resignare Epistolam, einen Brief aufbrechen oder eröffnen. Qualiter Publica authoritate obsignata, non nisi Publica authoritate. *resignare* fas est: Vnde illud: Es stehet niemand frey, des Gerichts Siegel eigenmächtiger weise zu brechen: Quo itidem in sensu plane natiuo et proprio miles, §. 4. *I. De milit. testam.* testamentum ante militiam non iure conditum dicitur *resignare* i. e. signatum aperire, et testamenta solenniter *resignanda* esse docemur. *t. t. ff. Quemad. test. aper.* Brunn. *d. t.* iung. *L. 6. ff. eod. L. 23. ff. Qui test. fac. possint.* quorsum quoque pertinet. *L. 1. §. 36. ff. Depos.* Vbi alter coheredum partem depositae pecuniae repetens *resignari* sigillum saculo impressum urget. *Conf. Disp.* Bartoldi *P. P. Francofurt. De Signata Charta. c. 1. p. 17.* (2.) Apud *Festum τὸ Resignare* idem denotare ac *rescribere*, autor est *Eichard. Lubinus in Antiquario suo, hoc verbo.* (3.) Eo etiam accipi sensu, ut idem significet, ac per signa loquenti signis respondere. Mit einander durch Mienen reden, notauit ex Caesario Heysterb.

sterb. *L. 8. c. 96.* Carl du Fresne in *Glossario ad Script. med. et infim. Latin. Voce Resignare. Vnde forsan* Die Minen Sprache. (4.) Apud Classicos Authores τὸ *Resignare* saepe etiam idem denotat ac *abrogare* et *irritum facere:* Sublatis enim sigillis fides atque authoritas tabularum soluitur. Huc pertinet locus Ciceronis pro *Archia. c. 5. pr. Nam cum Appii tabulae negligentius asseruatae dicerentur, Gabinii, quam diu incolumis fuit, leuitas, post damnationem calamitas, omnem tabularum fidem* resignasset et Flori. *L. 4. c. 7. Brutus., cum in Cassio etiam suum animum perdidisset, ne quid ex Constituti fide* resignaret, *ipse quoque vni Comitum suorum praebuit latus* (5.) Apud ICtos idem etiam denotat ac *denunciare* et *ulteriori ex contractu nexui renunciare.* vulgo loß kündigen Vid. Mev. *P. 1. Dec. 73.* et *P. 3. Dec. 144.* Vnde passim in mutuo sub annuis usuris absque temporis determinatione concesso, Creditorem nolentem porro foenori expositam esse pecuniam, commodo ante solutionem tempore *resignare* oportere tradunt ICti. Hinc instrumentis super mutuo confectis hanc inseri clausulam utile esse docet Magnific. Stryk. *in Tr. de Caut. Sect. 2. C. 1. §. 18.* Solte auch dem Gläubiger nicht belieben, dieses Capital ferner dergestalt Zienßbahr stehen zu lassen, oder dem Debitori nicht gefallen dasselbe länger zu behalten, so soll einer dem andern solches Capital ein halb Jahr vorher resigniren und aufkündigen. Sic et in casu locatarum indefinite operarum, nemini integrum esse e famulitio discedere, nisi iusto *resignauerit* tempore: Wo er nicht zur rechter Zeit seinen Herren den Dienst aufgekündiget hatt. docet Mev. P. 2. *Dec. 381. per tot.* Pariter nec Iure Lubecensi Locatori conductorem ex aedibus conductis expellendi facultatem concedi, nisi in domo Maiore ante semestre spacium Conductori facta sit *Resignatio* discere est ex Iure Lubec. *L. 5. Tit. 8. art. 2.* Qua quoque ratione praedium sub pacto antichretico oppignoratum reluiturum *resignationem* iusto tempore praemittere oportere asserit Stryk. *dic. Tr. de Caut. Sect. 2. C. 4. p. 204.* (6.) ICtis idem praeterea significat ac *abdicare et reddere* qualiter accipitur in *Resignatione Officiorum*, tam Ecclesiasticorum, de qua vid. Brunn. *ad*

Jus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1780201907/phys_0013
DFG

Jus Eccleſ. L. 2. c. 4. §. 14. inibique Stryk. quam ſecularium ac ciuilium, vulgo Vom Dienſt abdancken *Vid.* Meu. *P.* 7. *Dec. 333. n. 2.* Flamin. Pariſ. *Tract. De Reſign. Benef. L. 1. Quaeſt. 1. n. 34.* et Petrus Gregor. Tholoſan. *Syntax. Lib. 17. c. 18.* Vbi: An Reſignatio a Ceſſione, Renunciatione et Ejuratione beneficii, quae ſaepius confundi notat *Paris d. l.* differat, docte demonſtrat. (7.) Aliquando ius, quod proprie vendi nequit, ſi tamen accepto pretio in alium transferatur, ciuili termino *reſignari* a Noſtratibus dicitur. Sic Canonicatus et Praebendae, non quidem vendi, pro pretio tamen moribus *reſignari* ſolent. Vid. Ann. Robert. *Rer. iudic. L. 1. c. 7.* Flam. Pariſ. *De Reſignatione Simoniaca L. 14. quaeſt. 1. ſeq.* jung. Excell. Stryk. *Tract. De Succeſſ. ab inteſtat. Diſſ. 11. c. 3. n. 5.* (8.) Tandem idem denotat, ac *cedere:* quo in ſenſu hoc verbo utitur Horatius *L. 3. Od. 29. v. 13.*

Si celeres quatit (fortuna)
Pennas, reſigno, *quae dedit*

et Lib. 1. Epiſt. 7. v. 34.

Hac ego ſi compellar imagine, cuncta reſigno.

Cujus locutionis rationem inde petitam eſſe docet Buchn. *in Lex et* Faber. *h. verbo.* quod veteres, ſi quid rerum paraſſent, condere id, atque obſignare ſoliti fuerint, ne quid aut negligentia, aut furto periret: Quo cum uti vellent, illud ideo *reſignari* dixerunt, quod redderetur, *ſiue ejus uſus jam alii concederetur ac aperiretur;* Quae ultima notatio Rubro Diſputationis noſtrae apprime conuenit, utpote quo in *Reſignatio* denotat ceſſionem ac abdicationem iuris ac proprietatis, alio nomine, *Remiſſionem*, et non nullis *Refutationem* ac *Mancipationem* dictam, vulgo, die Aufflaſſung, Auffgebung, Ubergab, Verlaß der Verzicht.

§. IX.

Vox altera IVDICIALIS Nigro praemiſſa, quanquam ceteroquin omnem actum, tam in judicio, quam extra illud, inter-

interueniente modo Magistratus authoritate gestum haud infrequenter in iure nostro complectatur, cum ibi acta esse videantur, vbi aliquid iudiciali fit authoritate. Wesembec. *ff. Tit. Qui test. fac. possint. n. 10.* Reusner. *Tract. de Testam. V. 2. P. 4. c. 19.* Carpz. *P. 3. C. 3. D. 6.* Richter. *P. 1. Dec. 30.* hic tamen in Rubro, nec non in tota Disputatione strictius accepta solum denotat actum *in loco Judicii* vor dem sitzenden Rath. vid. *Jur. Lub. L. 3. Tit. 6. art. 2.* expeditum, cum de resignatione extrajudiciali, pleno effectu proprietatem in accipientem transferre haud valente nulli simus solliciti, sed *de iudiciali* duntaxat, *Resignatione*, quae accipientem protenus dominum efficit, his agere pagellis animus sit.

§. IX.

Quam cum Excellentissimo Strykio *in Tract. De Succeff. ab inteftat. Diff. 6. c. 4. th. ult.* hisce praelibatis ita describimus: QVOD SIT ACTVS IVDICIALIS, QVO REM IMMOBILEM ALIENATVRVS, IVRI SUO CORAM COMPETENTE IVDICE RENVNCIAT, REMQVE PLENO IVRE ACTIS INTERVENIENTIBVS PRAEVIA INVESTITVRA IN ACCIPIENTEM TRANSFERT. Posuimus (1.) Generis loco ACTVM, eo, quod Resignatio judicialis non ubique uniformiter expediatur, statutis Moribusque locorum diuersis, modo hanc, modo aliam solennitatis Moribusque locorum diuersis, modo hanc, modo aliam solennitatis obseruantiam hic requirentibus; Hujuscemodi vero negotiis, quae ita varie perficiuntur, atque quorum non ubique eadem forma esse noscitur, omnium commodissime accomodari vocem *Actus*, cuncta comprehendentem, quae quouis aguntur modo docet ICtus Vlpianus *in L. 19. ff. de V. S. et L. 41. ff. de V. O.* Hahn. *ad Wes. Parat. ff. Tit. De Donat. n. 2.* Struuius *S. J. C. Ex. 40. th. 1.* Cont. *L. 1. Disp. Jur. Ciu. c. 12.* Scheckius *in Deliber. Jur. Disp. 8. th. 15.* Voci *Actus* junximus in Definitione nomen IVDICIALIS. Non duntaxat ob rationem §. 11. expositam, scilicet, qnod in praesentiarum de extraiudiciali Resignatione agere animo non sedeat sententia; Sed et quod neque Jure Saxonico valeat extrajudicia-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1780201907/phys_0015
DFG

lis rerum immobilium alienatio et Resignatio. *art. 60. in fin.* Weichbild Carpzov. *P. 2. C. 39. D. 35. et L. 1. Resp. 102. n. 8. nec non Dec. 127. P. 2. n. 12. seqq.* Coler. *De Proceſſ. Executi. P. 1. c. 10. n. 199. et P. 1. Dec. 16. n. 2.* Dan. Moller. *ad Conſtit. Electoral. 23. ibique* Reinhold. Roſa. *P. 2. n. 16.* Neque iure Lubecenſi iſtiusmodi ratae ac firmae ſint rerum immobilium hundinationes, niſi coram Senatu fiat Resignatio. *Vid. Jus Lubec. lib 3. Tit. 6. art. 1. verbis:* Muß dieſelbe für dem Rath verlaſſen werden inibique JCtiſſimus Meuius. Praeprimis autem, quod ratio introductae *Resignationis judicialis* potiſſimum ſe fundet in judicii actorumque fide, quodque Magiſtratui inde noſſe liceat, qui bona alienat, nec non quae alienantur bona quique eadem ſibi acquirere diſcupiunt, quo, ſi parum expediat, vel ſtatutis aduerſetur alienatio, mature eandem impedire valeat. *Vid. Jus Lubec. L. 1. Tit. 2. art. 5.* et Meu. *ad J. L. Tit. 6. Lib. 3. art. 1. n. 5.* qua de re infra pluribus agendi dabitur locus.

§. X.

Cujus occaſione haud impertinenter hic quaeritur: *Cum in judicio Resignationem expedire oporteat. An ergo haec ſit actus voluntariae, an vero contentioſae jurisdictionis?* Et quanquam prima facie videri poſſit, non inepte *Resignationem* Voluntariae Juriſdictionis adſcribi Actibus, eo, quod Resignatio a *volente* et in hoc resignationis negotium *conſentiente ſolennitatis* ac *authoritatis* cauſſa expediatur; Voluntaria autem iuriſdictio a JCtis deſcribatur, quae in volentes et de negotio certo conſentientes ſolennitatis et authoritatis cauſa exercetur Vid. Frantzk. *Tit. ff. de Indict. n. 7.* Strauch. *Diſſ. 20. aphoriſm. 1.* et Lauterbach. in *Comm. Mai. ff. ad Tit. de Jurid.* Verior tamen hac non obſtante ratione, contraria eſt ſententia, ſcilicet Resignationem iudicialem eſſe actum *Contentioſae jurisdictionis* (1.) Quod ille actus recte dicatur contentioſae eſſe juriſdictionis, in quo Magiſtratus duarum partium litigantium jura perpendit et *cauſſa cognitia* jus dicit. *Struu. S. I. C. Ex. 4. th. 70.* inque *inuitum* reddit iudicium. Bernhard. Sutholt. *Diſſert.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1780201907/phys_0016
DFG

Dissert. elegant. de Jurisdict. n. 326. Strauch. *d. l.* seu, qui actus imperari potest. *Sutholt. d. l. in fin.* Atqui *Resignationem judicialem* caussae cognitionem praecedere debere, venditoremque *inuitum* perfecta emtione ad *resignandum* hancque tradendi solennitatem praecise actione emti cogi posse, eo minus dubium est, quo certius liquet non *unicuique*, nec *quomodocunque* resignare, neque rei *cujuscunque* aut in *quemcunque* resignando dominum transferre licere: Imo quo firmioribus juris principiis hanc niti credimus sententiam, quae venditorem perfecta emtione inuitum praecise ad tradendi necessitatem obligat §. 2. *J. de Donat. L. Ex empto. n.* §. 2. *ff. de Act. emt. inibique* Brunnem. *et L. 46. ff. eod.* Harprecht. §. 2. *J. de Donat. n. 132.* Gomez. *Var. Resol. Tom. 2. c. 10. n. 22.* Bachou. *ad Treutl. Vol. 1. Disp. 28. Tit. C.* Mynsinger. *Cap. 4. Oas. 51. n. 5.* qualiter respondit Amplissima Facultas Viadrina *Mens. Febr. Anno 1681.* in Casu donatarum rerum immobilium, sed praematura donantis morte interueniente, nondum judicialiter resignatarum (2.) Quod Resignare *per supratradita*, non nisi *in judicio* liceat bona, cum tamen actus voluntariae jurisdictionis solennitatem loci haud desiderent. Brunnem. *Exercit. Just. 1. Tit. 5.* §. 2. Ddres *ad L 2. ff. De Offic. Pro Cons.* Vinnius et Ludvvell. §. 2. *J. de libertin.* (3.) Quod Resignatio nonnisi coram competente judice fieri possit, per ea, quae jam jam dicentur, cum contra actus voluntariae jurisdictionis etiam extra territorium ius dicentis exerceri possint, nec competentiam judicis ratione rei et personae desiderent. Jason. *in L. fin. de Jurisdict. n. 6* inibique Duarenus. jung. Couarru. *L. 3. Resolut. c. 20. n. 8.* et Knichen *De Sublim. territ. jur. c. 1. n. 334.* (4) Quod nec *die feriato* expedire resignationem liceat, cum tamen actus voluntariae jurisdictionis temporis solennitati non sint obnoxii Vid. Pommeresch *ad* §. 2. *J. de Libertin.* inibique Vinn. Brunnem. *et Dd. Communiter.* Quibus addi potest (5.) Quod Actus voluntariae iurisdictionis regulariter in propria caussa a judice absque nullitatis periculo recte expediantur. *Vid. L. 3. et 4. ff. De Adopt.* Eckhold.

hold. ad *Tit. ff. de J. et J. n. 7. inibique* Schwendendorff. quod in noſtra reſignatione haud procedit.

§. XII.

Nec obſtat dictis allata dubitandi Ratio, Reſpondendum enim eſt. (1.) Actum voluntariae iurisdictionis male inde iudicari, quod iudex *in uolentes* aliquando iurisdictionem exerceat, ſicque ex libera voluntate venditoris nulla praeuia emtoris actione ſaepe reſignatio in judicio fiat; cum, praeterquam quod venditor emtione perfecta non ex abſolute libera voluntate, quin potius ex neceſſitate juris et contractus *arg. L. 1. ff. De O. et A. L. 108. ff. de V. S. L. 3. §. 1. ff. De V. O. L. 21. in fin. C. de C. E. L. 22. §. 11. ff. Mandat L. 5. C. de O. et A.* inibique Brunnem. et Barboſa. jung. Stryk. *ad J. Tit. De Empt.* ad reſignandum procedat, potiſſimum hic diſpiciendum ſit: an non *ratione eſſentiae ſuae*, licet non ſemper *ratioue exiſtentiae* Reſignationis actus ita comparatus ſit, ut judex reſignationem inuito mota ab emtore actione, imperare venditori poſſit; Qualiter cum utique ſe habeat reſignationis ſolennitas, non magis apte inde deſitura eſt annumerari actibus contentioſae juriſdictionis, quod actu ſecundo venditor non reſignet *inuitus*, quam actio Legis Aquiliae id propter deſinet poenalis eſſe, quod hoc caſu, quo rei aeſtimatio illo non creuit anno, poenalis non exiſtat. Vid. Stryk. §. *9. ff. Ad L. Aquil. et* Hoppius *Exam. Inſt. h. t. quaeſt. 17.* Sufficit ergo *aptitudinaliter* ex natura reſignationis in inuitum jus reddi poſſe, *actualiter* licet non ſemper inuito hic actus imperetur. (2.) Reſpondendum eſt: Infeliciter inde, voluntariae jurisdictionis actum eſſe inferri, quod apud Magiſtratum *ſolennitatis* ſaltem et *authoritatis* cauſſa peragatur. Niſi enim *totus* actus ab authoritate Legis ac Magiſtratus dependeat, parum tutum eſſe, illum protenus voluntariae jurisdictioni accenſere, erudite omnino euictum iuit JCtiſſimus Struuius. *S. J. C. Ex. 4. th. 71.* Obrecht *Tract. De juriſdict. c. 9. n. 8. et 14.* Quare, cum ex neceſſitate praeuii contractus et conuentionis dependeat Reſignationis ſolennitas, ipſam inde naſci-

nascituram obligationem ex ciuitatis jure firmatura, nec citra praeuiam contrahentium conuentionem quicquam sola operetur, sicuti et absque illa conuentio tamen valida est et suo modo perfecta, sane inde actibus voluntariae jurisdictionis annumerari neutiquam merebitur. Interim tamen illis proterue haud refragabimur, qui Resignationem negotiaque alia similia, quibus Magistratus authoritas et confirmatio eum in finem accedit, ut publica nitantur ac sustineantur fide, affinia esse voluntariae jurisdictioni asserere sustinent. Vid. Struu. *d. l. th.* 72. et *Ex. 33. th. 9.* Scip. Gentil. *Lib. 1. c. 10.* Hilliger ad Donell. *L. 17. c. 8. Lit. U.* Obrecht. d. *L. 1. C. 9. n. 16. et* Vinn. *Tract. De Jurisdict. c. 6. n. 6,*

§. XII.

Diximus (3) QVO REM. Vt eo ipsa tacite innueremus, praesentem hanc nostram circa *Resignationem Jurium et Priuilegiorum* v. gr. SCti Velleiani, Macedoniani, Excussionis, Diuisionis, etc. operam haud occupari. Addidimus. (4.) IMMOBILEM, Neque enim jure Saxonico aut Lubecensi, vt *rerum mobilium* pleno jure in accipientem transeat dominium, in hisce *Resignationem* desiderari *judicialem* reperire est; quin extraiudicialem cum justo, eoque habili ad transferendum rerum mobilium dominium titulo sufficere traditionem quotidiana retro iudicatorum obseruantia erudimur. Neque dubitamus asserere, statuto effici haud posse; ne sine praeuia *iudiciali resignatione* res mobiles alienare fas sit. Tantum enim abesset istiusmodi ciuitatis placitum ciuium ac Reip. promouere commodum posse, vt potius commerciorum vtilitati, quae non parum publico conducit bono, Vid. *Instr. Pac. art. 9.* maximo sit impedimento futurum. Quam enim fugit, commerciorum vtilitatem omnis omnino morae impatientissimam, in quarumcunque, saepe minimarum rerum nundinationibus judicis demum praestolari jussum aut ratihabitionem haud permissuram; quibus maximus sane hoc pacto poneretur obex, si venditurus res suas actis interuenientibus solenniter dominium resignare necessitatis Lege adstringeretur.

tur. Vt taceamus, cum frequentiores rerum mobilium quam immobilium sint licitationes ac alienationes, quotidiano victui atque amictui nunquam non inseruientium, nec judicem omnium implorationibus, nec tabellarium publicum omnium negotiorum insinuationibus suffecturum, neque Rempublicam unquam litibus, quibus omnem praescindi ansam, ejus tamen maximopore salus efflagitat, carituram esse. Confer. Meu. *ad J. Lub. L. 3. Tit. 6. a. 1. n. 6.*

XIII.

Vsi sumus in describenda Resignatione (5.) verbo ALIENANDI, non quidem in *generalissima sui acceptione, qua rei*, juris, imo possessionis translationem et constitutionem ambitu suo complectitur *per L. fin. C. D. reb. alien. non alien. inibique Brunnem.* Vt hoc sensu prohibita alienationem regulariter, exceptis poenalibus et odiosis. Salyc. et Castr. *n. 2. ad d. L.* Negüzanz. *De Pign. P. 2. Membr. 3. n. 73.* Fusarius *Tr. De Substit. qu. 730. n. 3.* Gutierez *P. 2. pr. qu. 115. n. 2.* etiam prohibitus censeatur omnis actus, quo res a nobis ad alium transire potest. Giphan *ad L. 11. ff. de A. R. D.* Wissenbach. *ad L. 265. ff. de V. S.* Cum, quicquid prohibitum est in termino, etiam prohibitum sit in via. Stryk. *Vol. 1. Disp. 2. c. 5. n. 21.* Perez. *ad Tit. C. De reb. alien. n. 7.* Neque tamen *in strictissima sui notatione*, qua ad solam restringitur venditionem, *L. 3. et t. t. C. De Praed. Decur. sine Decreto alien. Lib. X.* Scipio Gentil. *Tract. De Donat. inter V. et V. 3. c. 13.* Franzk. *De Laudem. c. 14. n. 6.* Rebhan. *Hodoget. jur. Chart. 2. Clim. 2. n. 35.* Sed *in media significatione*, ut quidem omnem caussam inter viuos dominii translatiuam, tam lucratiuam, quam onerosam sinu suo foueat (quo in sensu frequentissime hoc verbum in jure occurrit Scipio Gentil. *Tract. De Secund. Nupt. c. 2.* Griuel. *Decis. Dolan. 22. n. 49.* Brunn. *ad L. fin. C. De reb. alien. etc.* Tabor. *Tract. De alien. quae in mutuo. c. 8. p. 395.*) pignoris autem aliusque juris in re constitutionem exulare hic faciat. Vt ut enim ad hypothecas etiam immobilium valide constituendas publicam actorum fidem

die

die Stadt-Buch-Schrift adhiberi conueniat. *Ius Lubec. L. 3. Tit. 6. a. 1. et Constit. Sax. 23. P. 2. Resignatio* tamen *judicialis* hic frustra desiderabitur, utpote quae translationem dominii die Ubertragung des Eigenthums nach gerichtlicher Auflassung, unice intendit, quod tamen, cum per pignoris constitutionem ex intentione Debitoris in Creditorem abiturum non sit, nec *resignari* poterit.

§. XIV.

Excipiunt verbum alienandi (6.) in descriptione Resignationis, verba: IVRI SVO *renunciat.* Vbi per *Ius* resignantis intelligimus, non duntaxat *Plenam Proprietatem conjunctam cum usufructu caussali*, sed et *Minus plenam Proprietatem* nimium delicatulis, *jus domini proximum*, rectius tamen hodie termino etiam Legali *Vtile Dominium* dictam, plenissimum vsumfructum compotestate rem ipsam vindicandi continentem. Eckholt. *Tit. ff. de A. R. D. §. 6.* Posse enim, imo debere Vasallum, Emphyteutam omnemque illum, in quem utile dominium translatum est, illis casibus, quibus feudum, emphyteusin etc. valide alienare possunt, judicialiter juri suo renunciare, illudque solenniter *resignare* infra pluribus exponemus. Neque quoad hanc *resignandi* solennitatem quicquam interesse credimus, rei pro parte Dominus sit, an totius. Quicquid enim juris est in toto, qua toto, illud et in qualibet totius parte juris esse debere indubium est. Nec *fictum*, quod bona fides tribuit, dominium *L. 136. ff. de V. S.* hic *voce juris* excluditur. Bonae fidei enim aeque possessorem ex praeuio justo titulo in b. f. accipientem rei non vitiosae mediante Lege posse resignando transferre usucapiendi conditionem, ceu gradum dominio proximum, quam verum Dominum rei suae proprietatem, eo minus asserere ambigimus, quo clarius hunc bonae fidei effectum tribuit Imperator Iustinianus in §. 5. *I. Per. quas. pers. cuique acquir.*

An autem ipse dominus vel bonae fidei possessor facta rei aliena-

alienatione judicialiter juri suo renunciare dominiumque resignare *debeant*, *An vero et per* Procuratorem *actum* resignationis *expedire possint*, apud omnes aeque expeditum non est? Illud quidem sine exceptione omnes facile largiuntur, speciali a Domino instructum mandato utique *resignare* posse. *arg. L. u. §. ult. ff. de Pignor. Act. L. Restituta. 37. in fin. pr. ff. Ad SCtum Trebell. L. Fundi. 33. De A. vel A.P.* Non enim hic de voluntate domini, volentis rem suam in alium transire, dubitare licet, cum quisque, quod per alium facit, ipse fecisse credatur. *L. 5. §. 3. ff. De administ. tut.* Neque de hoc admodum ambigunt, quod uniuersorum bonorum administrator *simpliciter talis* neque alienare bona Domini, neque resignare possit. Cum in hanc sententiam jam olim iuisse ICtum Modestinum, aduertere sit ex responso, quod exstat *in L. 63. ff. De Procurat.* Cujus haec sunt verba: Procurator *totorum bonorum*, cui res administrandae mandatae sunt, res domini neque mobiles, neque immobiles *sine speciali Domini mandato alienare potest*. Nec optima hoc responsum destituitur ratione: Vbi enim specialis animi declaratio desideratur, quae toties exigitur, quoties de singulari Domini praejudicio agitur, Carpz. *in Proceff. Tit. 5. a. 2. n. 46. et Lib. 3. Resp. 40. n. 15.* Jason. *ad L. Iusjurandum 17. §. 3. n. 4. ff. De jurejur.* Stryck *in Introduct. ad Praxin Forens. c. 10. §. 3.* juncto Hoppio. *ad Tit. I. De Mand.* ibi speciale Domini mandatum requiritur, nec generale sufficit. Meu. *P. 8. Dec. 217. n. 2.* At vero: An idem in Procuratore uniuersorum bonorum *cum libera* obtineat, de eo non est concors omnium sententia? Qui hunc *resignare* posse sustinent, asserti fundamentum petunt ex §. *42. I. de R. D.* et Responso ICti Caji, quod legere est in L. *9. §. 4. ff. De A. R. D.* Vnde desumtus est *d. §. 42.* Vbi illum, cui *libera uniuersorum bonorum administratio* permissa est, si ex his negotiis *rem vendiderit et tradiderit* (seu ut id moribus nostris accommodemus: *judicialiter Dominium rei resignauerit*) eandem accipientis facere, disertis verbis erudimur. jung. *L. 58. ff. de Procurat.* Cui adstipulatur decantatissima Practicorum Regu-

Regula, quam ex notabili *c. 4. X. De Procurat. in 6.* desumptam exhibent et in judicando sequuntur *Brunnem. ad L. 58. ff. De Procurat.* Couarruu, *L. 1. Resolut. 6. n. 3.* Hilliger. *ad Donellum L. 4. c. 15. Lit. H. Scilicet.* Quoties quis mandatum *cum libera* habet, toties ipse omnia illa expedire potest, quae speciale cetèroquin mandatum requirerent. Istiusmodi enim mandatum amplissimam mandatorio concedere facultatem, eaque comprehendere, quae alioquin non comprehenderentur, docent. Jason in *L. 1. n. 20. inibique* Ripa *n. 1. ff. De Legat. 1.* Roland. a Valle *Vol. 3. Cons. 17. n. 47.* Camill. Borell. *in Summar. Decis. Tit. 66. n. 409.* Carpzou. *Lib. 3. Resp. 6. n. 38.* Ab his vero qui diuortium faciunt, et negatiuae patrocinantur sententiae, supra allegata nituntur *L. 63. ff. de Procurator* et tam *ad §. 42. I. R. D.* quam *L. 9. §. 4. ff. De A. R. D.* et *L. 58. ff. De Procurat.* respondent: Hosce, et si qui alii similes sunt, juris textus intelligendos esse de casu, si res domini tempore sint perituae aut mora deteriores futurae, vel si domini utilitas et administrationis ratio rerum alienationem suasura sit. Vinn. *in Comm. Maj. ad §. 42. ff. d. 1.* Donell. *Lib. 4. c. 15.* Franzk. *ff. Tit. De Procurat. n. 41. inibique allegatus* Bachou. *ad Treutl.* Ad Practicorum vero allatam regulam reponunt: Illam cessare, quoties de magno Domini agitur praejudicio, ut hac casu. Finkeltaus *Obs. uo. n. 20.* Mozzius: *Tit. De Diuis. Mandat. n. 55.* Conferatur Brunnem. *ad L. 63. ff. De Procurat.* Quae sententia in foro Saxonico videtur praeualuisse. Vid. Nicolai Proces. *P. 7. cap. 7. n. 27.* Nos tamen in puncto juris priorem veriorem esse autumamus, licet Negatiuam et extra Saxoniam in Praxi obtinere ambabus largiamur, nec eandem aequitate destitui ingenue profiteamur. Semper enim mandato ut ut generali cum libera bonorum administratori concesso, cum alienatio et resignatio speciale desiderent mandatum, adhuc incertum foret, an etiam ipse Dominus res suas immobiles alienare voluisset, licet potuisset; Vltra illa autem, quae facturus fuisset Dominus ipse, licentia et facultas Procuratori etiam per manda-

tum cum libera non videtur conceſſa. Confer. Stryk. *in Tr. De Caut. in Contr. neceſſ. Sect. 2. c. 11. §. 4.*

§. XV.

Diximus (7.) Coram *Competente Iudice.* Competentiam hic potiſſimum deſideramus illam, quae eſt *ratione Rei et Cauſſae*, non vero illam praeciſe, quae eſt *ratione Perſonae.* Hinc non ſemper idem hic Judex competens eſt: Aut enim agitur *de Reſignatione rei allodialis*, et tunc coram judice Rei ſitae eandem expediendam eſſe docte demonſtrant. Matth. Coler. *Deciſ 16. n 20.* Daniel Muller *ad Conſtit. Elect. 23.* Carpzou. *P. 2. C. 39. D. ult. et Lib. 1. Reſp. 202. n. 9.* Richter. *De jur. et Priu. cred. Cap. 2. Membr 2.* Philipp. *Vſ. Pr. I. Eccl. 20. L. 2. n. 4.* Aut vero de Reſignatione *Rei feudalis*: Quo caſu Dominum feudi competentem eſſe judicem aſſerere non dubitamus arg. *textus. 2. F. 22, in fin.* Niſi inter ipſum Seniorem et Vaſallum ſuper Reſignatione lis ſit. Hoc enim caſu Pares Curiae deſuper cognoſcere debere haud obſcure colligere datur ex *all. text. 2. F. 55. in fin.* Confer. Struu. *S. I. F. Cap. 16. aph. 19.* Vinn. *Comm. Maj. §. 41. I. de R. D.*

§. XVI.

Vltimo tandem loco his verbis: Rem *pleno jure* vel *Actis interuenientibus* vel *praeuia inueſtitura* in accipientem transfert. Partim ad effectum *Reſignationis*, quo de pluribus infra *Cap. III* diſpiciemus, partim ad differentiam *Reſignationis ſolennis* et *Minus ſolennis* reſpeximus; Nec verba: *Actis interuenientibus vel praeuia inueſtitura*, otioſa eſſe voluimus; bene gnari Jure Saxonico rerum immobilium pleno effectu in accipientem haud transferri Dominium, niſi haec tria conjunctim obſeruentur, (1.) Vt alienans *Iudicialiter, reſignet.* Daß er es gerichtlich verlaſſe *art. 30. L. 2.* Landrecht. Rauchbar. *P. 1. qu. 6. n. 34.* Frantzk. *De Laudem. cap 5. n. 54.* Modeſtin. Piſtor. *Vol 1. Conſil. 64.* (2.) Vt bona immobilia vendita Judicialiter tradat.

tradat. Daß er es gerichtlich überlege. *art. 60. in fin.* Weichbild. Coler. *De proceſſ. Execut. P. 1. c. 10. n. 199.* Carpzou. *Lib. 1. Reſp. 102. n. 9.* (3. Vt tam in bonis feudalibus, quam cenſiticis et emphyteuticis noui poſſeſſoris *inueſtitura* ſequatur. Daß er ausdrücklich damit belehnet werde Weichbild. *art. 20. verſ.* Der Richter ſoll etc. Hinc *Inueſtitura omiſſa* per ſolam *abdicationem judicialem* non magis rerum immobilium in nouos poſſeſſores transferri dominium docent Coler. *d. Tr. P. 1. c. 10. n. 199.* Carpz. *d. Reſp. 102. in fin.* ac tranſire proprietatem quis falſo opinaretur, rebus immobilibus per inueſtituram judicialiter traditis et nouo poſſeſſore aſſignatis, non praecedente alienatoris Judiciali renunciatione ac Reſignatione Vid. *art. 30. L. 2.* Landrecht. *et* Carpz. *P. 2. Decis. 127. n. 11* Cum autem Iure Lubecenſi Inſcriptio in Librum ciuitatis publicum. Die Einſchreibung in der Stad-Erb-Buch locum inueſtiturae ſubintraſſe videatur, *Actorum* in Deſcriptione noſtra injecimus mentionem. Conſtat enim hoc jure *Reſignationis* ſolennitatem hiſce duabus abſolui partibus (1.) Ceſſione ſeu Iuris abdicatione coram Senatu facta. Der gerichtlichen Verlaſſung vor dem ſitzenden Rath. (2.) Inſcriptione in librum publicum publica fide expedita. Der Einſchreibung in der Stad-Erb-Buch *n. 1. et 2. Lib. 3. Tit. 6. jur. Lub. inibique* Meu. Qua utraque perfecta, cum celebrata *Reſignationis* ſolennitas omnibus numeris abſoluta dicatur. Meu. *d. l.* inſcriptionem hanc vice Inueſtiturae fungi nulli dubitamus.

§. XVII.

Diſpeſci communiter *Reſignationem* a Doctoribus aduertimus in IVDICIALEM, quam alii SOLENNEM appellare malunt, et EXTRAIVDICIALEM aliis MINVS SOLENNEM dictam, qua alienans omiſſa ſtatutorum ſolennitate jus ſuum *reſignat.* Quae cum huius loci non ſit, nec iisdem cum judiciali gaudeat effectibus, in illius indole exponenda multi non erimus, ſed ejus loco ſubſtituimus aliam, qua Interpretes *Iudicialem Reſignationem* partiuntur, in EXPRESSAM, qua alienans dilucide

cide voluntatem *resignandi* declarat, et TACITAM, quae ex facto *Resignantis* abdicationem sui juris illatiuo voluntatem *resignandi* sistit: Quorsum referunt Libellum Vasalli supplicem, quo feudo ex praeuio Domini et Agnatorum consensu vendito, accipientem desuper inuestiri contendit. Illam subdiuidunt in ORALEM, qua ex nonnullorum Locorum Statutis resignans verbis *ore* prolatis *resignandi* voluntatem declarare debet, et LITTERALEM, qua statuto locali ad *resignationis* formam praesentiam *resignantis* vel ejus Procuratoris haud desiderante, alienanti integrum est, voluntatem *resignandi* per *litteras* declarare. Hisce jungimus (3.) Diuisionem *Resignationis judicialis* in NECESSARIAM, quae ex praeuia necessitatis caussa v. g. Rei judicatae, pignoris etc. procedit, et VOLVNTARIAM. quae *ab initio* liberum resignantis praesupponit non alienandi arbitrium. (4.) In TEMPORALEN ac PERPETVAM (5.) PVRAM et CONDITIONALEM et hanc iterum in SVSPENSIVAM et RESOLVTIVAM; Quae singula, cum ex ipsis terminis nemini non obuia atque nota esse remur, hisce fusius euoluendis, ne modum migret Disputatio, diutius non immorabimur, binis adhuc verbis *Originem* judicialis Resignationis exposituri.

§. XVIII.

Hanc licet alii altius a Jure quidem Iustinianeo, imo antiquo Quiritium Jure repetere ac arcessere velint, et a veteri mancipationis solennitate, non nisi vocis sono ac externa verborum figura discrepare, asserere satagant; Resignationem tamen *judicialem* formaliter consideratam speciem Mancipationis haud esse, sed illi utique contradistingui, verius putamus. Jure vero Saxonico eandem primitus adinuentam succesuque temporis ad Lubecensium Rempublicam, indeque ad alias Porussiae, Pomeraniae, Holsatiae ac Megapolis ciuitates, Jus Lubecense ex libero arbitrio sinu suo recipientes, translatam esse, eo nixi fundamento asserimus, quod expresso Jure Saxonico Landrecht *Lib. 1. art. 8. inibique* Zobell. *lit.*

lit. B. et C. Weichbild. *art. 20. et Conſtit. Elect. Nouiſſ. 61:* introducta ſit. Coler. Proceſſ. Execut. *P. 2. c. 10. n. 166. et P. 1. Dec. 16.* Rauchb. *qu. 6. 35.* Meu. *Ad jus. Lub. Lib. 3. Tit. 6. art. 1. n. 5.* Et deinde Statutis Lubecenſibus, maximam partem ex Iure Saxonico deſumtis. Meu. *Ad Ius Lub. qu. Praelim. 1. n. 56. et qu. 10 n. 31.* inque dubio inde proxime lucem interpretationis foenerantibus. *B. Cottmann.* Decus ac Gloria hujus Almae Varniacae. *Vol. 1. Conſil. 38. n. 21. ſeqq.* expreſſe repetita inueniatur. Vid. Lübſchs-Stadt-Recht. *L. 3. Tit. 6. art. 1. 2. et 3. et L. 5. Tit. 6. art. 1.* Neque interim negamus aliis eandem Gentibus fuiſſe cognitam. Enim vero *Reſignationem* et hodienum *Iudicialem* frequentari apud Barauos. *art. 37. Ord. Polit. illius prouinciae,* quam allegat Vinnius. *in Comm. Maj. ad §. 41. I. De R. D. n. 4. inſibique all.* Grotius et Groenweg. Nec non in Geldria, Frideric. a Sande. *Ad Conſuetud. Geldr. feud. Tr. 2. Tit. 2. c. 1.* Flandria. Nic Burgund. *ad Conſult. Flandr. Tr. 4. n. 12.* aliisque quam plurimis Germaniae locis. Hartm. Piſtor. *Obſ. final. 230. n. 1. gal. tamen Imperio* Germ. Muller. *Ad Conſt. Elect. 23. P. 2. n. 17.* abunde teſtantur.

CAP. II.

EXHIBENS SVBIECTVM, PASSIVVM, OBIECTVM ET FORMAM RESIGNATIONIS IVDICIALIS.

§. I.

Qui, et quatenus vel natura impediuntur vel lege ac ſtatuto prohibentur res immobiles alienare, hi, et eatenus impediuntur ac prohibentur judicialiter reſignare.

§. II. *Neque infans. Neque infantiae. Neque Pubertati proximus. Neque minor abſque Curatoris conſenſu valide* reſignant, *nec ſemper cum conſenſu eiusd.*

§. III. *Minor etiam major declaratus tamen haud valide abſque praeuio Magiſtratus Decreto* reſignat.

§. IIII. *Furioſus et Mente captus* reſignare *non poſſunt. Neque Fatui et Simplices etiam cum curatore recte* reſignant.

§. V. *Furiosus quiescente furore tamen retinet curatorem et sine curatore tempore dilucidi interuallo furiosus recte* resignat.

§. VI. *Grossi et Grossolani recte etiam sine Curatore* resignant.

§. VII. *Melancholici quando recte* resignent, *docet.*

§. VIII. *Muti et Surdi valide* resignant. *Nisi statutis locorum certa quaedam solennia verba requirantur, modo valeant significanter animi sensa exprimere.*

§. IX. *Prodigus sine curatore valide non* resignat.

§. X. *Limitatur dicta sententia.*

§. XI. *Mulier Iure quidem Communi, sine curatore omnes recte contractus excepta fideiussione init. Non vero Iure Saxonico ac Lubecensi sine Curatore valide* resignat.

§. XII. *Mulieres illis in locis vbi jus commune viget, etiam sine Curatore* resignare *possunt.*

§. XIII. *Marito fundum dotalem alienaturo non licet* resignare. *Etiamsi Uxor in* resignationem *consentiat.*

§. XIV. *Idem obtinet Jure Saxonico. Secus se res habet Jure Batau. Et jure Lubecensi, nisi et liberi simul consenserint.*

§. XV. *Quibus casibus praedii dotalis* simpliciter *dati vel cum vel sine Uxoris consensu jure Lubecensi Ciuili, Canonico, aut quolibet statutario valide procedit alienatio, iisdem etiam valebit judicialis a marito facta praedii dotalis* resignatio.

§. XVI. *Modeste notatur* Ekholti *sententia statuentis: Rem immobilem inaestimato datam rect. indistincte a marito alienari posse. Fundum pecunia dotali emtum Maritus praeuia judiciali* resignatione *valide potest alienare.*

§. XVII. *Idem obtinet in fundo dotali* aestimato *dato, aestimatione* venditionis *caussa adjecta, ut et hic Maritus* resignare *possit.*

§. XVIII. *Emphyteuta irrequisito domino cum periculo amitendi emphyteusin* resignat.

§. XIX. *Donando Emphyteuta etiam irrequisito recte domino* resignat. *Recte tamen eundem oportebit domino denunciare.*

§. XX. *Idem obtinet Generali Germaniae Praxi.*

§. XXI. *An Emphyteuta facta irrequisito Domino alienatione fundi emphyteuticarii*, nondum addita judiciali resignatione, *protenus jure suo cadat, disquiritur.*

§. XXII. *Domino intra bimestre spatium voluntatem suam non declarante, Emphyteutae licitum est etiam*

etiam dissentiente Domino resignare

§. XXIII. *Vasallus sine Domini consensu jus feudi* resignans *fundo priuatur.*

§. XXIV. *An Vasallus feudo cadat, si saltem tradiderit, sed nondum* resignauerit *quaeritur?*

§. XXV. *Vasallus saltem vendens feudum, non subsecuta traditione et* Resignatione, *feudo non priuatur.*

§. XXVI. *Obaeratus Debitor in necem Creditorum nulliter* resignat. *Sicut et ille, cui de fuga suspecto, desiderante Creditore, bonorum alienationi interdictum est.*

§. XXVII. *Possessores bonorum hereditariorum Jure Lubecensi sine Cognatorum, illorumque quorum interest consensu, haud valide resignant.*

§. XXVIII. *Contra priuatam pacisentium legem* resignans, *nulliter procedit.*

§. XXIX. *De Subjecto* Resignationis Passiuo *agitur. Qui, et quatenus Lege vel natura prohibentur dominum acquirere, hi, et eatenus a* resignationis subjecto Passiuo *excluduntur.*

§. XXX. Praeuia Resignatione *neque in Infantes, Minores et Prodigos, neque in Furiosos et Mente captos sine Curatoris consensu ex titulo oneroso rerum immobilium transfertur dominium*

§. XXXI. *Qui* praeuia resignatione *resignatam emphyteusin acquirere nequeant, docet.*

§. XXXII. *Extra familiam illius, qui non, nisi in familia rem alienari voluit, constitutus, firmum ex resignatione jus non acquirit.*

§. XXXIII. *Jure Lubecensi Forensis rerum immobilium a ciue resignatarum dominium non acquirit.*

§. XXXIV. *Nec extraneus ab extraneo, si illi per hereditatem immobilia bona obuenerint.*

§. XXXV. *De Objecto* Resignationis *agitur.*

§. XXXVI. *Immobilia alia* naturaliter *alia* ciuiliter *sunt talia*

§. XXXVII. *Solum, soloque cohaerentia, ad Objectum Resignationis pertinent*

§. XXXVIII. *Item Cujuscunque generis Molendina.*

§. XXXIX. *Decimae et annui reditus. Quod Jure Lub. et Batau. expresse decisum est.*

§. XL. *Actiones rerum immobilium itidem objectum Resignationis constituunt.*

§. XLI. *Forma* Resignationis *delinea-*

lineatur, qua Neglecta Resignationes *forma, nil agit* resignans.

§. XLII. *Venditio tamen nihilominus valida est. Hinc* Resignatione *licet nondum subsecuta, neutri inde resilire fas est.*

§. XLIII. *Quid iuris sit, si venditor jure Lubec. resignauerit. sed ante procuratam inscriptionem moriatur?*

§. I.

Perlustrata praecedaneo Capite 1. *Resignationis judicialis* genuina indole ac Origine, subjectisque variis eiusdem Diuisionibus, consequens est ut proximo jam pede ad *Subjectum Actiuum, Passiuum, Objectum* nec non *Formam* dictae *Resignationis* pergamus. Parum enim est jus nosse, si personae, quarum caussa omne jus constitutum est *L. 2. ff. De Stat. Hom.* ignorentur. §. *fin. J. De J. N. G. & C.* neglectaque rei forma, esse rei abesse, et aliud plane agi, aut quod intenditur, inutiliter agi videtur. Ordiemur autem tractationem a *Subjecto Actiuo*, quod constituunt Personae resignare valentes ac volentes. Circa quas, ne nimium vagetur nostra scriptio, eandem sequenti Generali includemus Regulae: *Qui, et quatenus vel natura impediuntur, vel Lege ac statuto prohibentur res immobiles alienare, hi, et eatenus impediuntur, ac prohibentur judicialiter resignare.* Rationem Regulae hanc subjicimus: Quod tam alienatio, quam *Judicialis Resignatio* in effectu eodem conspirent, haecque illam semper sequatur. Sicuti enim is demum proprie alienate creditur, non qui vendit, sed qui dominium in accipientem transfert. *L. Alienatum. 68. ff. De V. S. L. 8. in fin. ff. De alienat. judic. mut. causs. L. 38. §. 7. ff. De Leg. 3.* Ita et hic resignare noscitur, pleno qui jure Dominium in accipientem deriuat. Quare cum natura vel Lege impeditus vel Prohibitus alienando rem facere accipientis non possit *L. 1. C. Non licer. habitant inibique* Jo. de Plarea *n. 1.* Donell. *Lib. 9. c. 10.* Chassan *in Consuetud. Burgund. Rubr. 9. §. 10. n. 7.* et

et Sichard. *in C. L. 3. De Condict. ob Cauff.* Fruſtra reſignanda hic effectum transferendi dominii praeſtolabitur, facultate non minus, quam voluntate alienandi qui deſtituitur: Vt hinc feliciter omnino a facultate cum effectu alienandi, ad facultatem reſignandi etiam negatiue procedere argumentandi rationem autumemus.

§. II.

Ex hac autem generali Regula (1.) Inferimus. Neque *Infantem* ſ. hominem ſeptem annis minorem. *L. 14. ff. De ſponſal. L. 18. pr. et §. 4. C. De jur. delib.* cum fari non poſſit *L. 1. §. 2. ff. De Adem. tut. L. 7. §. 2. ff. De ſuppellect. Leg.* nec a Furioſo multum differat. §. 9. *J. De inut. ſtip. L. 1. §. 3. ff. De O. et A.* Neque *infantiae Proximum* §. 9. *J. d. t. L. 1. §. 13. ff. De th. et A. L. 3. ff. Rom. pupill. ſalo. fare.* Neque Pubertati Proximum; Imo ne Minorem quidem curatorem habentem, ſine Tutorum Curatorumue conſenſu *reſignare* poſſe. Cum enim illos defectus *voluntatis* ac *intellectus* quibus duobus fulcris verus nititur conſenſus; hos vero *judicii imbecillitas* ab alienationis negotio arceat *pr. J. de Auth. Tut.* Vtique et a judiciali abſtinere Reſignatione jubentur. Quae cum circa *immobilia* duntaxat occupetur bona, magis eſt, ut dicamus: Ne Minorem quidem *Cum Curatoris conſenſu* protenus reſignare poſſe. Quanquam enim Minor cum Curatoris conſenſu *ſimpliciter* quidem immobilia alienare non prohibeatur, non tamen firmo aliter jure procedit alienatio, etiam cum Curatoris conſenſu, quam ſi cum ſolennibus juris fiat. *t. t. C. De Praed. Min.* Hinc, cum ad validam praediorum Minoris alienationem requiratur (1.) Juſta eaque neceſſaria alienandi cauſſa *L. Notabili. 22. C. De Adm. Tut. L. C. De Praed. Min.* v. g. aeris alieni *L. 5. §. 9. L. 14 ff. De Reb. ear. qui ſub Tut. ininibique* Brunnem. *L. 47. pr. ff. De. Minor.* Johan a Sande *De Prohib. rer. alien. §. 1. c. 1. 59.* Dotis vel Donationis propter nuptias. *L. 22. C. De Adm. Tut.* ſola Minoris utilitate hic neutiquam ſuffectura. *L. 5. §. 14. et L. 13. pr. ff. De reb. ear. qui ſub.*

Tut. Roland. a. Valle. *Vol. 3. Consil. 7. n. 26.* Natta *Consil. 631 n. 35.* Afflict. *Dec. 87. n. 5.* Guttierez. *De Tutel. P. 2. c. 5. n. 33* Stryk. *Tr. De Caut. in Contr. neceſſ. Sect. 1. Cap. 1. §. 17. in fin.* quanquam eadem inſignis fuerit: Hipp. Rimin. *Vol. 1. Conſil. 5. n. 38.* Riccius. *Dec. 345.* Klock. *Conſil. 51. n. 18.* Raudenſis. *Vol. 1. Conſ. 8. n. 26.* Brunnem. *ad L. pen. ff. De reb. eor qui ſub. tut.* Lugubre enim ſatis eſt Minori in domo qua in Pater defecit et ipſe creuit, Maiorum imagines aut non fixas, aut videre reuulſas docente Imperatore *in L. 22. C. De Adm. Tut.* (2.) Accurata cauſſae cognitio, an ſcilicet aliter pupillo ſuccurri non poſſit, quam alienando. *L. 6. et fin. C. De Admin. Tut.* inibique Brunnem. Carpzou. *P. 2. C. u. D. 28. n. 13.* quem in finem jubebit Praetor ſibi omnium bonorum exhiberi Inuentarium, ut inde conſtet, adeſſe neceſſariam alienationis cauſſam. Stryk. *d. Tr. §. 23.* Adeo ut ob hunc ſolum defectum, reliquis licet omnibus ſolennitatibus adhibitis ipſa alienatio nulla ſit. Mortan. *De Tutel. c. 33. n. 32.* Curt. *Conſil. 29. n. 9. et 7.* Dec. *Conſil. 351. n. 6. et* Carpzou. *d. l. n. n.* (3.) Decretum judicis ſuper facienda alienatione. *L. 6. et Notabili. 12. C. De Praed. Min.* Stryk. *d. l. §. 19.* Vbi notat: Ipſum Decretum non ſufficere ſequi alienationem, ſed ad ejus Legitimationem praecedere cauſſam alienationis debere Carpz. *L. 5. Reſp. 69. n. 18.* Joh. a Sande. *De Prohibit. rer. alien. c. 1. n. 68. ſeqq.* Per *L. 5. §. 9. ff. De re reb. eor. etc.* Extra caſus exceptos, quibus in alienatione rerum Minoris Decreto plane opus non eſt, quos videre eſt apud *Dd. ad Tit. C. Quando Decret. non eſt opus* et Dn. Lauterb. *Diſſert. De Alien. rer. quae minor ſunt. th. 44. ſeqq.* Minorem etiam cum Curatoris conſenſu, niſi his omnibus praeuiis ſolennibus, *reſignare* haud poſſe aſſerimus.

§. III.

Nec aliter ſe rem habere ſtatuimus, quanquam Minor *veniam aetatis impetrauerit.* Licet enim ab illo tempore Minor, ſententia judicis Major declaratus, omnia illa recte agat, quae

quae sub cura constitutus poterat cum consensu Curatoris *L. 22. C. De. Adm. Tut.* Illa tamen, quae ne quidem consentiente Tutore recte expediebantur, etiam venia aetatis impetrata usque ad annum 25; valide agere prohibetur. *L. 2. §. 1. et L. 3. C. de his qui ven. aetat.* Hopp. *Ex Inst. Tit. De Curat. qu. 6.* Stryk. *d. l. §. 20.* Meu. *ad Jus. Lub. Lib. Tit. 2. c. 7. n. 24.* Hinc sicuti Minor tunc sine Decreto rem immobilem alienare prohibetur. L. 3. C. *De his qui ven. act.* inibique Brunnem. et Stryck. *cit. loc.* ita nec sine Decreto rem immobilem alienare prohibetur. L. 3. C. *De his qui ven. act.* inibique Brunnem. et Stryck. *cit. loc.* ita nec sine Decreto valebit resignare.

§. 4.

Ex supra tradita Regula inferimus. (2.) Neque *Furiosos*, (cuius indicia et argumenta petere licet *ex L. In his qui §. 1. ff. de Ædil. Edict. L. 22. §. si maritus ff. de Solut. matrim. L. Quidam 22. ff. De Condit. Instit. et L. 3. verb. Saxis, aut alio furoris genere C. De Judaeis.* Confer. Mascard. *De Prob. Concl. 827.* Menoch. *Lib. 6. Praes. 45.* Loming. *Consil. 40. quaest. 4. n. 57. seqq.* Mantica De *Conject. ult. vol. Lib. 2. Tit. 5. n. 10.*) qui cum rabie quadam et tumultu insaniunt die rasend Toll sind. Neque *Mente captos*, (quos non tam in confinio furoris et sanae mentis constituti, uti minus recte ex *L. 6. C. De Cur. Furios.* colligit. *Dn. Hopp. Ex. Instit. ad Tit. De Curat. qu. 11.* quam *in quiete* insanire et omni animi consilio destitutos in silentio degere die an ihrer Vernunfft gekräncket arbitramur cum Baldo *Ad. L. Si Furiosi C. de Nupt.* Meu. *ad Jus Lub. Lib. 1. Tit. 7. a. 6. n. 27.* Goedd. *De contrab. stip. c. 7. Conclus. 502. 826. et 1049.* Stryk. *d. l. §. 7.* Brunnem. *ad L. 3. C. De Curat. Furios. et* Menoch. *Lib. 6. Praes. 45. n. 2. seqq.*) Neque *Fatuos*, aut *Simplices*, quos verius in confinio furoris et sanae mentis constituti et ad Officia communis vitae mediocriter sufficere remur. Schlechte, alberne, kindische und blöde Leute. Meu. *Jus Lubec. d. l.* resignare valere. Sicuti enim Furiosi nulla est voluntas. L. *Furiosi 40 ff. De R. J.* nulla certa vox L. *Sancimus. 7. pr. C. Ad. sect. Trebell.* nullus sensus *L. 22. §. si mari-*

maritus ff. sol. matrim. nullus consensus. *L. 2. C. De contrah. emt.* et nullus plane affectus. *L. 1. §. 6. Ne vis fiat.* sed pro mortuo fere *L. 1. in fin. ff. De Bonor. poss. furios.* et absente habetur. *L. 124. ff. De J. th.* ita nec alienare. *L. 2. ff. de R. J. L. 2. C. De contrah. emt.* et per consequens neque *resignare* valebit: Et cum inter Mente captum et Furiosum rabies et impetus duntaxat discrimen faciat *per supra dicta*, eadem illius, quae huius in *resignatione* est conditio, cum uterque ex potestate mentis exierit. Nec dispar Fatuorum ac Simplicium ratio est: Quanquam enim hi quidem non in mentis exilio versari, sed in confinio rationis adhuc constitui dicantur, infantibus tamen et pueris, quorum non certum animi est judicium, recte annumerantur. Goedd. *De contrah. stipulat. c. 7. Concl. 9. n. no.* Meu. *ad Jus. Lub. lib. 1. Tit 7. a. 6. n. 27.* proindeque eadem cum hisce sorte censebuntur, ut resignare ne quidem cum Curatore possint, sed hic illorum nomine resignare debeat. *arg. L. 18. §. 3. C. De jur. Delib.* Stryk. *Tr. de Caut. Sect. 1. Cap. 2. §. 3. n. ibique all. Ddres.* Tiraquell. *De Retract. §. 1. Gloss. 13. n. 20.*

§. V.

Non tamen, quod de *Furiosis* et *Mente captis* diximus, ad tempus dilucidi interualli, et quiescentis furoris extendi volumus. Quanquam enim nec hoc tempore Curatorem habere desinat Furiosus. *L. Cum aliis 6. C. De Curator. Furios* quia tamen ratio dati Curatoris induciarum tempore cessat, ut furioso datus *Nomine* magis et *officio*, quam *Effectu* ipso Curator esse videatur, docente Imperatore in *all. L. 6. C. d. t. in fin.* omnes recte actus celebrare poterit, sanus quos quisque celebrare non impeditur. *al. L. 6. inibique* Brunnem. *et all.* Anton. Gometz. Quare Curatoris licet non adhibito consensu, resignare quiescente furore utique valebit; adeo, ut quanquam facta resignatione furor postea eundem iterum stimulis suis accenderit, hactenus quiescens Curatoris officium reuiuiscat quidem, sed tamen interim factam resignationem retro haud inualidet. *L. 6. C. d. t.*

§. VI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1780201907/phys_0034
DFG

§. VI.

Nec *Fatuis* et *Simplicibus* quoad effectum interdictae Resignationis *Grossos* et *Grossolanos* annumerari posse censemus: Quanquam enim hi aliquanto obtusioris sint intellectus, quia tamen omni ejusdem usu haud carent, sed ratione uti sciunt, testarique et contrahere possunt Heig. *P. 2. quaest. Illustr. 38. n. 28. seqq.* Meu. *ad Jus Lub. 1. Tit. 7. art. 6. n. 29.* nec *resignare* sine Curatore prohibebuntur.

§. VII.

Sed quid de Melancholicis? Hos qui furiosis cum Oldekop. *obseru. Crim. 23. Tit. 3. n. 5.* accensent, illis forsan *resignandi* facultatem non inuita Jurisprudentia negabunt. Qui vero furori Melancholiam cum Heigio *quaest. illustr. 38. n. 23.* contradistinguunt, et eorum ingeniorum excellentium teste *Carpzouio Prax. Crim. P. 3. quaest. 145. n. 6.* esse contendunt, contra resignandi Melancholicis licentiam dabunt. Nos cum Meuio. *supra cit. loc. n. ult.* et Strykio *De Cautel. Sect. 1. c. 2. §. n.* aliisque distinctionis foedere rem conciliaturi, dispiciendum esse putamus: An Melancholia sit *remissior*, quae sanae mentis usum non impedit; et hoc casu sine Curatore factam *Resignationem* valere nulli dubitamus: An vero tanta sit melancholicae vehementia, ut omnem penitus rationis usum adimat; quo casu pari cum furiosis sorte Melancholicos censeri sustinemus.

§. VIII.

Surdis et *Mutis* animi sensa signis vel alia ratione commode et significanter exprimere valentibus, quo minus *resignandi* denegemus facultatem, obstat, quod jura eosdem ab alienatione haud arceant. Quare nisi Statutis localibus certa quaedam solennia verba ad Resignationem requirantur, minus recte a Resignatione quis eosdem excluserit. *Conf.* Stryk. *De jur. Surd. et Mut. Cap. 3. n. 7. seq.*

§. IX.

Cum *Prodigos*, quos Nomotheta Lubecensis *L. 1. Tit. 7. art.*

art. 6. ſat congrue unnütze Verſchwender ihrer Güter appellat, dum neque tempus neque finem expenſarum habent, ſed bona ſua dilapidando et dilacerando diſſipant et profundunt *L. 1. ff. De Curat. furios.* recte furioſis accenſeat jus noſtrum §. *Furioſi I. D. Curat. L. fin. §. 2. C. De ſert. paſſ. L. Furioſſ. ff. De. R. I.* eo quod, uti notanter loquitur ICtus Vlpianus in *L. 2. in fin. ff. De Tut. et Curat. dat.* prodigus furioſum rerum ſuarum exitum faciat, non magis hunc, quam furioſum ſine Curatore *reſignare* poſſe indubitanter concludimus, neutri illorum jure alienandi facultatem concedente. *L. 10. ff.* De *Curat. furioſ. inibique* Brunnem. jung. *L. 40. ff.* De *R. J.*

§. X.

Subaudiendum autem hoc duntaxat eſt, de Prodigo *civiliter* tali, ſeu cui praeuia cognitione et ſubſecuta judicis declaratione bonis interdictum eſt *L. 10. ff. d. t.* Prodigus enim *moraliter* ſaltem talis, qualis ſuis conſtituitur actibus quin etiam ſine Curatore valide *reſignet*, eo minus dubium, quo certius, eidem contrahendi licentiam non prius adimi, quam per ſententiam prodigus declaretur, erudimur ex *L. 18. ff. Qui teſt. fac. poſſit.* Stryk. *Tr.* De Caut. Sect. 1. *Cap. 2. §. 14.* Brunnem. ad *L. 10. ff. De Curat. Furioſ.* Riminald. *Conſil. 515. n. 12.*

§. XI.

Ex Regula Superiori concludimus (3) *Mulierem*, neque *Iure Lubecenſi*, neque *Iure Saxonico* ſine Curatore recte *reſignare*. Ut ut enim jure communi Foemina, excepta fidejuſſione *t. t. ff.* & C. De *SCt. Vell.* etiam absque Curatore omnem recte contractum ineat. Stryk. *De Caut. Sect. 1. c. 2. §. 29.* Iure tamen Saxonico Landrecht L. 1. *art. 44. & 46. ibi Gloſſ. Lib. 2. art. 63.* absque conſenſu Curatoris donare, vendere aliove contrahere modo prohibetur. Carpz. P. 2. C. *15.* D. 1. *per tot.* Quod et Iure Lubecenſi repetitum ac conſtitutum deprehendimus. *Lib. 1. Tit. 7. art. 4. et Tit. 10. art. 1. inibique* Meu. *n. 2. ſeqq.* adeo, ut alienatio a muliere non adhibito Curatoris

ris consensu facta, exceptis casibus, quos suppeditat praelaudatus Meu. *n. 2. d. l. n. 44. seqq.* ipso jure nulla sit. Chassan. *in Consuetuo. Burgund. Rubr. 4. §. 1.* Moller. *ad Const. Sax. P. 2. C. 15. n. 89.* Coler. *Dec. 67. §. 1. n. 21.* Roman. *in L. Si quis mihi §. Si coram. ff. De Acq. hered.* Meu. *d. l. n. 32. seq. inibique all. Ddres.*

§. XII.

Sicuti autem illis in locis, ubi jus Commune viget, Mulieribus *resignare* non interdicitur, ita contra non duntaxat Foeminis Lubecensibus ac Saxonicis Lubecae et in Saxonia *resignare* sine Curatore illiçet; Verum et aliis quibusuis extraneis in Saxonia aut locis Juri Lubecensi obnoxiis, alienaturis resignare sine Curatore non permittitur, quamuis ceteroquin ipsae neque Saxonico neque Lubecensi juri subjectae sint. Philippi. *Ad Dec. Saxon. obseru. 2.* Solennitates enim illius loci, ubi actus geritur, semper ab agentibus attendendae sunt. *per. L. 6. ff. De Euiction.* Hopp. *Ex. Inst. Tit. De J. N. G. etc. qu. 17.* Brunnem. *ad d. L. 6. n 3.* Gail. *Lib. 2. Obs. 8. in fin.* Roll. a Valle. *Vol. 4. Cons. 13. n. 1. et Vol. 3. Cons. 100.* Molina *De J. et J. Tr. 2. Disp. 260.* Carpzou. *P. 2. C. 15. D. 6. n. 8. et* Mynsing. *Cent. 4. Obs. 82.*

§. XIII.

Sequitur (4.) Ex regula superiori: In fundo dotali, intuitu Mariti *Resignationem* non obtinere. Vt ut enim ipse dotis dominus sit *pr. J. Quib. alien. lic. L. 7. §. ult. L. 96. §. 8. L. 75. ff. De jur. dot. L. 23. C. Eod. L. 13. §. 1. De fund. dot. L. 21. §. Ad muncipal. L. 9. C. De R. T.* Quia tamen ejusdem expressa Lege Julia Mariro interdicta est alienatio. *d. pr. J. Quib. alien. sic. c. t. ff. et C. De Fund. dot. L. Un. §. et cum. Lex Julia. C. De R. U. A. et §. 1. J. dt. Nou. 61. per tut.* Ne fragilitate naturae suae, cum Reip. incommodo, cujus interest, foeminas non esse indotatas, sed dotes ipsis sartas rectas conseruari *L. 1. ff. Sol. matrim.* in repentinam deducantur inopiam *d. prin. J.* nec procedit fundi dotalis *Resignatio*.

§. XIV.

§. XIV.

Patitur tamen, quod de fundo dotali etiam consentiente Uxore non alienando, praecedenti diximus §. non quidem Jure Saxonico. Vid. Carpz. *P. 2. C. 15. D. 15. n. 5.* Wesenbec. *In Parat. ff. Tit. De fund. dot. n. 7.* Schneidew. *pr. J. d. t. n. 4.* Ranchbar. *P. 1. qu. 34. n. 18.* bene tamen Jure Batauorum, de quo testatur *Vinnius pr. J. Quib. alien. lic. inibique citati Grotius Neostad.* et Groenvvegen. indistincte et Jure Lubecensi hanc exceptionem in specie, si uxor et Liberi in alienationem fundi dotalis consenserint. *Vid.* Lübsch. Stadt-Recht. *L. 1. Tit. 5. a. 9.* inibique Meu. n. 15. *seqq.* Cujus exceptionis juri Communi partim e diametro aduersae, partim incognitae ratio dubio procul ex qualiquali bonorum communione et anomala Societate, quae inter Conjuges hoc jure esse noscitur, petenda est: Cujus vigore pleniorem Marito potestatem in res uxoris, imo et alienandi facultatem pro communi usu Jure Lubecensi datam esse, variis ex locis hujus juris docte pro more suo demonstrat Meuius d. l. Quin ergo Jure Lubecensi Maritus praeuio Uxoris et liberorum consensu recte *resignare* valeat, frustra quisambiget.

§. XV.

Jmo, vt multa paucis complectamur, in genere dicimus: Quibus casibus praedii dotalis *Simpliciter* dati, vel cum, vel sine uxoris consensu jure siue Lubecensi, quos *vide ap.* Meu. *d. l.* siue Ciuili, quos videsis ap. Eckholt. Struu. Zoes. Lauterbach. et Ddres communiter *ad. Tit. ff. et C. De. fund. dot.* et Canonico. *arg. cap. 28. X. De* jur. *et c. 2. Eod.* Hunn. *L. 2. var. Resol. Tract. 4. qu. 15. in fin.* Gail. 2 *Obs. 39. seq.* Peretz *Ad Tit. C. De. fund. dot. et ad L. 1. C. d. t. ibique.* Brunnem. aut alio quolibet Statutario valide procedit alienatio, iisdem et valebit judicialis a Marito facta resignatio.

§. XVI.

Sicuti autem ex hactenus dictis satis liquere credimus, juri Ciuili plane contrariam esse Eckholti sententiam §. 2. *ff. De.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1780201907/phys_0038
DFG

De fund. tot. per *L. 2. C. h. t.* ſtatuentis: Rem immobilem inaeſtimato datam, recte a marito alienari indiſtincte poſſe, cum contrarium ejus euidenter ſatis erudiamur *L. Un.* §. *15. C. De R. U. A.* et ad *d. L. 2. C. De fund. dot.* doctiſſime reſpondeat. Brunn. *d. L. 2.* Ita prohibitam alienationem et *Judicialem Reſignationem* ad fundum dotali pecunia emtum neutiquam extendendam eſſe cum praeallegato concludimus Eckholto *d.* §. 2. non modo, quod res ex pecunia dotali comparata marito plene acquiratur *L. fin. C. De ſeru. pign. dat. man. L. Ex pecunia dotali 12. C. De. Jur. dot.* Carpz. *P. 3. C. 23. Def. 27.* Bartol. Bald. Cynus. Salycet. et Sichard. *Ad L. Si vt proponis C. De R. V. Jung.* Brunnem. *ad L. fin. C. De Seru. pign. dat. man.* et *in Ex. Juſt. J. Tit. 8. pr.* Verum etiam, quod pecunia marito ideo detur, vt eam pro ſuo arbitrio permutet, ita, vt non ſit amplius debitor ſpeciei, ſed generis. *L. 42. ff. De Jur. dot.* Nec obſtat. *L. 54. ff. De jur. dot.* Reſp. enim eſt diſtinguendo inter id, quod eſt dotale *ſimpliciter* an *indefinite* et quod dotale eſt *reſpectiue* et *ſecundum quid* ratione iſtius euentus, ſi maritus non ſit ſolvendo *L. 55. ff. De. Donat. inter V. et V.* Vid. Carpzou. *d. l.* Schwedendorff. *ad. Eckholt. d. l.* Jungatur Donell. *Lib. 5. Comm. 2. et ad L. 12. C. De Jur. dot.* Aliam reſponſionem ſuppeditat Brunnem. *ad L. 12. C. d. l. inibique all. Dd.*

§. XVII.

Neque tamen Marito in fundo dotali aeſtimato dato aeſtimatione *venditionis cauſſa* adjecta, facultatem etiam ſine conſenſu Vxoris *Reſignandi* denegamus. Sicuti enim indubium eſt, talismodi praedii dotalis alienationem Marito permitti. *L. 10. §. 4. et 6. ff. De J. D. L. 69. §. 8. ff. Eod. L. 1. ff. De aeſtim. act.* cum hoc caſu maritus ſaltem pretii debitor dicatur, *L. Quoties. 5. C. De J. D. inibique* Sichard et Brunnem. *L. 10. C. eod.* Cauarruu. *Pract. quaeſt. cap. 28. n. 1.* Caſtillo. *De vſufr. c. 4. n. 14.* Meu. *ad Jus Lub. Lib. 1. Lit. 5. a. 8. n. 20. ſeq.*

seq. Ita eundem valide etiam *resignare* posse, haud facile quis inficiabitur.

§. XVIII.

Emphyteuta an et quatenus Jus fundi emphyteuticarii *resignare* possit, colligere itidem est ex tributa ipsi a Lege alienandi facultate. Non autem liberum hic eius esse arbitrium, sed domini directi voluntati subordinatum, liquet ex *L fin. C. De Jur. Emphyteut.* Vbi docet Justinianus: Non aliter fas esse emphyteutae Jus suum alienare et in extraneum transferre, nisi praerogatiuam domino cesserit, ejusque exspectauerit declarationem, an idem pretium, quod extraneus obtulit, sit soluturus; secus facientem et propria authoritate emtorem inducentem emphyteutam jure suo cadere. Vid. Brunnem. *ad d. L. fin.* Stryk. *Tr. Caut. Sect. 2. C. 7. §. 37.* Johan a Sande. *De prob. rer. alien. P. 1. c. 2.* Trentacinqu. *Var. Concl. L. 3. Res. 8. per tot.* Mantica *de Tac. et amb. Conu. L. 22. Tit. 28.* E. nec alio ipsi pacto licebit jus suum *resignare.*

§. XIX.

Sed hoc ex veriori, eaque communi magis sententia Ruin. *Consil. 143. n. 10. Lib. 1.* Mantica. *d. l. n. 60.* Dom. Sil. Aldob. *Cons. 143. n. 10.* ad solam restringi volumus venditionem. *Donantem* enim emphyteutam etiam irrequisito Domino, non tamen jure cadere suo, haec suadere videtur ratio, quod Imperator verbum *alienandi* in *tota Lege fin.* semper ipse ad *venditionem* deprehendatur restringere, quodque ratio offerendae Domino prius praerogatiuae, np. vt Dominus paratus idem pretium praestare, quod emptor obtulerat, huic praeferatur, in donatione, quae ex mera liberalitate rem in donatarium sine omni donantis lucro transfert, cesset. Vid. Vinn. Ludwel, Vultej. Harprecht. *ad §. 3. J. De Loc. cond. inibique all. Dd.* jungatur Mantica *d. l. inibique plena manu citati.* Tum quod in materia hic versemur odiosa, vbi de priuationis effectu agitur, quo casu restrictiuae interpretationi locus

locus est. *c. odia. X. De R. J. in 6. Dec. in L. 1. Cui jus est vendere. n. 3. De R. J.* Brunnem. *ad L. fin. C. De fund. emph.* Vbi docet: Denunciationem tamen fieri debere domino, hoc effectu, ut dominus sciat, quem emphyteutam sit habiturus, et vt electionem habeat, an ipsi pretium offerre velit. Jason. *ad L. fin. d. t. Bachou. ad Treutl. V. 1. Disp. 26. th. 13. Lit. E.* aut sane nouum emphyteutam accepto laudemio in possessionem admittat. *Vinn. §. 3. J. De loc.*

§. XX.

Nec aliter se rem *hodie* habere, sed et *generali Germaniae Praxi*, spreto Domini consensu vendentem, et judicialiter resignantem ad ductum *d. L. fin. C. de jur. Emph.* jure cadere suo, eo minus dubii asserimus, quo periculosam magis nouimus illorum sententiam esse, qui non liquido probata Legis abrogatione, contra *L. Sancimus. 27. C. De Testam.* abolitionem Legis, vel certe ejus non usum temere prosiliunt. Quare, cum contrarium in Praxi obseruari haud notauerint alii in Foro versatissimi, Carpzouium *L. 6. Resp. 108. n. 3.* et Franzkium. *Trat. De Laudem. c. 5. n. 15.* L. fin. C. D. jur. emph. hodierna consuetudine non ita praefracte attendi notantes, de Consuetudine et Praxi Saxonica, intelligendos esse arbitramur: Nam localibus statutis dispositione d. L. recedi posse, probat Decisio Curiae Holland. *59.* satis euidenter, ad quam prouocat. Vinn. *in Comm. Maj. §. 3. De locat. n. 6.*

§. XXI.

An autem Emphyteuta protenus exuatur jure suo, si saltem emphyteusin vendiderit, sed nondum resignauerit, non inutilis, nec injucundae quaestionis est? Affirmatiua niti videtur ipsa *L. Fin. C. De jur. emph.* Vbi solius *venditionis* fit mentio, quam solo perfici ac contra hi consensu constat ex *pr. et §. 3. I. De. Emt. Vend. L. 2. §. 4. ff. eod. L. 1. §. 2. ff. De rer. perm.* Non dubitamus tamen in Negantium castra abire cum Trentacinquio. *De jur. Emph. Resol. 8. n. 3.* Carpz. *P. 2. C. 39. D. 13.* Molina. *De*

I. et I. Disp. 459. n. 6. Brunnem. *ad L. fin. C. De jur. Emphyt.* Mantica. *d. L. n. 19.* tum, quod alienatum non dicatur proprie, quod venditum quidem, sed non translatum *L. Alienatum 67. de V. S.* Tum, quod tam alienationis, quam venditionis mentio fiat *in d. L. fin.* sicque verbum venditionis praeprimis in hoc odioso juris articulo cum effectu accipiendum sit. *art. L. 1. §. Haec autem verba. ff. Quod quisque jur.* tum etiam, quod Vasallum sola venditione absque *resignatione* feudo haud cadere proxime euictum daturi simus, unde tamen ad emphyteutam, nisi aperta diuersitatis adsit ratio, procedere argumentum docet Stryk. *Iur. Feud. Cap. 1. quaest. 29.*

§. XXII.

Illud expediti juris est, si dominus intra bimestre spatium voluntatem suam non declarauerit, et hoc spatium emensum fuerit, licere emphyteutae etiam dissentiente Domino ad extraneum suum jus transferre. *L. fin. C. De jur. emphyt. inibique* Brunnem: Ergo nec h. c. valebit Dominus *resignationem judicialem* impedire.

§. XXIII.

Ob summam, quam emphyteusis cum feudo teste Strykio *in Ex. feud. c. 1. q. 16.* habet affinitatem, proximo eoque non incongruo hic quaeritur loco: *An et quomodo Vasallus jus feudi resignare possit?* Et, cum hujus aeque ac Emphyteutae voluntas Domini arbitrio suppositа sit, ut sine ejus sique feudum antiquum sit, etiam proximorum agnatorum consensu tantum absit, ut valide vasallus alienare possit, ut potius *priori casu* jure cadat vasallitico, per textum rotundum *2. F. 52.* et *55.* eo, quod consensum domini non implorando eundem contempsisse videatur, *2. F. 24. in fin.* Rosenthal. *Concl. 61. c. 9.* Anton. *Disp. feud. 11. th. 6.* Struu. *S. I. F. c. 13. th. 11.* et Bitschius *in Comment. ad 2. F. 24. in fin. 2. F. 55. et 2. F. 52.* Posteriori vero casu agnatis reuocandi jus sartum tectum conseruetur. *2. F. 26. §. Titius* inibique Bitschius. Stryk. *Exam.*

Exam. Feud. c. 20. qu. 1. sqq. Struu. *S. I. F. c. 13. th. 15. sqq.* illorum subscribimus sententiae, qui nec alia ratione *resignationem* hoc casu procedere concludunt.

§. XXIV.

Vtrum autem Vasallus feudo priuetur, si illud tradiderit, sed nondum domino RESIGNAVERIT, acriter in utramque partem variis animi motibus agitata quaestio est? Ad cujus antequam decisionem progrediamur, ne laterem lauare operamque inutilem suscepisse videamur, paucis dispiciemus: *An etjam casus dari possit, quo huic priuationi locus sit?* Et quamquam prima fronte dicendum videatur, quia per *illa*, quae supra *n. 115. Cap. 1.* notauimus, in feudalibus *resignatio* coram domino feudi fieri debet, adeo ut coram alio, ceu incompetente judice facta, non subsistat, euenire non posse, ut priuationi unquam locus sit. Nam si Dominus in *resignationem* consenserit, cessabit procul dubio priuatio: Sin minus, nec tunc quidem priuatio obtinebit; cum dissentiente Domino facta alienatio pro nulla habeatur, nec aliam mereatur poenam, quam actus annullationem Hartman. Pistor. *Obs.* 230. Carpzou. *P. 2. C. 49. n. 8.* Wesenbec. *Consil. 73. n. 30.* Dari tamen casum, quo quis feudo suo propter alienationem etiam in foro Saxonico priuetur, docet. Carpzou. *d. l. n. 13.* Nempe, si tam imprudenter rem gerat Vasallus, ut statim omne jus feudi, nullo penitus reseruato, in emptorem transferat, et in eo nec resignationis der Auflassung nec feudi des Lehns, mentionem faciat, neque eam de necessitate requiri existimet, multo minus coram Domino facere cogitet: Quo casu, cum militet contra Vasallum ratio priuationis, contemptus sc. Domini, ergo et hoc casu priuationi locus erit. Quibus praemissis, ad quaestionem propositam respondemus cum Excellentissimo Struuio in *S. I. F. cap. 13. aph. 9. n. 6.* tres distinguendo casus: Aut enim (1.) Vasallus consensu Domini susque deque habito rem, quam feudalem nouerat, tanquam allodialem vendidit et tradidit: Et hoc casu, ob jam jam dictam

ctam rationem, solam venditionem absque *judiciali resignatione* sufficere, numero praecedenti diximus Vid. Struu. *h. t.* et Hartm. Pistor. *Obs.* 230. (2.) Aut vasallus feudum alienaturus tradidit quidem, sed eo animo, ut velit Domino *resignare* et ut accipiens de feudo inuestiatur, petere: Et cum hoc casu dominus haud contemnatur, nec pura et perfecta alienatio videatur, sed conditionalis et suspensiua, feudo ab solam traditionem, nondum secuta *resignatione judiciali*, Vasallus priuandus non est. Hartm. Pistor. *d. Obs.* 230. et Struu. *all. loc.* (3.) Aut ab initio quidem habuit istum animum, *resignauit* etiam Domino postea feudum, sed dominus contradicit *resignationi*, rejectis, quas Vasallus de emtore denuo inuestiendo fecerat, precibus: Et hoc casu interest: An ita vasallus Dominum in consensu alienationi impertiendo difficilem sentiens, statim resilierit a contractu: et condonanda ei utique culpa est, cujus tam mature ipsum poenitet, maxime in casu nostro, quo ante resignationem imperfecta censetur alienatio. An vero pertinaciter institerit alienationi; quo casu priuationem merito locum obtinere debere arbitramur.

§. XXV.

Sed quid si Vasallus saltem vendiderit feudum, irrequisito Domino, sed neque *tradiderit*, neque *resignauerit?* Et aequiorem putamus hoc casu illorum esse sententiam, qui priuationi locum non dari contendunt. Nec enim alienatum censetur, quod in dominio mansit venditoris. *L. 67. ff. De V. S.* et in poenalibus verba stricte sunt capienda. Stryk. *Ex jur. feud. Cap. 23. q. 22.*

§. XXVI.

Illud tralatitium esse opinamur, neque *Resignationem* ab obaerato Debitore in necem Creditorum *arg. t. t. Quae in fraud. credit. alien. sunt. ut restit.* Vid. Carpzou. *P. 2. C. 3. D. 20. et P. 3. C. 23. D. 21.* Sande. *Lib. 3. Tit. 13. Def. ult.* aut illo, cui de fuga suspecto, desiderante creditore, bonorum interdicta est aliena-

alienatio *arg. L. 8. ff. de Pollicit.* Vid. Struu. *Iuripr. forenſ. L. 2. Tit. 9.* §. 2. factam jure ſubſiſtere.

§. XXVII.

Sicuti et bonorum hereditariorum poſſeſſores *jure Lubecenſi* non aliter valide *reſignare* poſſe domino hiſce in bonis jure hereditario quaeſito, niſi cum cognatorum et illorum, quorum hoc jure intereſt, conſenſu, colligere eſt ex. *a. 6. Tit. 10. Lib. 1. Iuris Lubec.* et Meu. inibi *n. 82. ſqq.*

§. XXVIII.

Perſonas *publica Lege* reſignare prohibitas, excipiunt, quae *priuata* pacti, aut conuentionis *Lege*, imo teſtatoris placito alienare prohibentur: Cum enim cuilibet rei ſuae Legem dicere integrum ſit, quam velit, pactaque traditioni adjecta quomodocunque valeant. *L. 48. ff. De Pact.* in Brunnem. non dubitamus, contra pactum et arbitrium primi transferentis *reſignantem*, nulliter procedere, ipſa alienatione et reſignatione neutiquam valitura. Vid. Brunnem. *ad. L. 3. C. De Condict. ob cauſſ.* Ioh. de Platea *in L. Un. n. 1. C. non Licere habitant.* Sichard. *L. 3. n. 8. C. De Cond. ob. Cauſſ.* Donell. *L. 9. c. 10.* Meu. *ad J. Lubecenſ. Lib. 1. T. 2. d. 5. n. 76.*

§. XXIX.

Contemplati hactenus ſumus *Subjectum reſignationis* Judicialis *Actiuum*, conſequens eſt, ut SVBIECTVM PASSIVVM i. e. Perſonas *reſignatum*, dominium acquirere valentes, paucis examinemus, viſuri de illis, in quas *reſignatio* fieri nequit, quibus cognitis, facile et de his, quae reſignatum acquirere poſſunt dominium, conſtabit. Illas autem per compendium Beniuolo Lectori ſequens ſiſtet Regula: *Qui et quatenus natura vel Lege dominium acquirere prohibentur, hi et eatenus a Reſignationis* SVBIECTO PASSIVO *excluduntur.*

XXX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1780201907/phys_0045
DFG

§. XXX.

Hinc, quae supra de Infantibus, Minoribus, Prodigis, Furiosis et Mente captis diximus, huc *quodammodo* repetimus, scilicet sine Curatoris consensu ex praeuio titulo *oneroso resignatum* rerum immobilium dominium illos non acquirere.

§. XXXI.

Sicuti et ratione alienatae emphyteusis notamus, non aliter illam etiam hoc casu, quo dominus bimestre labi spatium a tempore legitime requisiti consensus passus est, valere, nisi praeuia *resignatione* illis fundus emphyteuticarius venditus sit, qui in contractu prohibiti non sunt, quique canonem soluere possunt *L. fin. C. De jur. emphyt.* inibique Brunnem.

§. XXXII.

Vnde quoque constat, nec in hunc firmum ex alienatione cum praeuia Resignatione transire, jus, qui extra familiam ejus est, extra quam alienari primus transferens rem datam accipienti interdixit. arg. *L. 48. ff. De Pact.* inibique Brunneman.

§. XXXIII.

Illud notam meretur: Jure Lubecensi neminem ciuium rem suam immobilem *Peregrino* aliiue, qui ciuis non est, praeuia *resignatione* vendere posse, nisi jure et bonis suis exutus Senatui 50 marcas auri exsoluere velit. Lübsche Stadt-Recht *L. i. Tit. 2. a. 5.* Cujus rationem hanc *ex Gail. 2. Obs. 19. n. 3.* affert JCtissimus Meuius *ad d. a. 5. n. 7.* quod publicae conducat utilitati, bona sub ditione ciuitatis sita, apud subditos remanere, quo judicia eorum nomine instituta sint faciliora, munerum impositio et exactio promptior, augendi habitantium numerum et patrimonia occasio amplior.

XXXIV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1780201907/phys_0046
DFG

§. XXXIV.

Idem iuris est in *Extraneo*, si ipsi immobilia per hereditatem obuenerint. Haec enim non ad peregrinos, sed ciues pra euia *resignatione* transferre eundem oportere, docet *modo all. artic. 5. in fin. verbis*: Gleicher Gestalt soll es auch gehalten werden, wan einem frembden ein Erbe allhier anstirbet, der soll dasselbe auch nicht an frembde vereussern, sondern an Bürger bringen, quod tamen optime temporat B. Meuius *ad d. art. n. 15. seqq.*

§. XXXV.

Transitum facimus ad OBIECTVM *Resignationis*, quam occupari *supra. c. 1.* §. 17. diximus duntaxat circa RES IMMOBILES.

§. XXXVI.

Cum autem constet *immobilia* esse aut *natura* aut *intellectu iuris* talia, vtraque obiectum *Resignationis* constituere indubitanter asserimus, indeque

§. XXXVII.

Inferimus (1.) Solum, soloque *natura* aut *facto hominis* cohaerentia v. g. agros, hortos, prata, cellas, tabernas, domus similesque possessiones, quae jure Lub. liegende Gründe *art. 2. Tit. 10. L. 1. & a. 3. Tit. 6. Lib. 3.* stehende Erbe. *a. 3. d. Tit. 10.* Item Simpliciter Erbe. *art. 5. Tit. 2. lib. 1.* et stehende Gründe. *art. vn. Tit. 3. Lib. 3.* appellantur. Vid. Cothman. *Consil. 40. n. 200. seq. Vol. 1.* ad obiectum resignationis procul dubio pertinere. *arg. L. 1. ff. De Cond. Tritic. L. 1. §. 3. 4. 6. L. 3. §. 15. De vi et vi arm. L. 7. §. 10. De A. R. D.*

§. XXXVIII.

Sicuti et (2.) in Cujuscunque generis Molendinis aedibus junctis, Pneumaticis et Naualibus alienandis *Resignatione judiciali* opus esse statuimus Vid. Finkeltaus. *Disp. feud. 3.*

Contr. 30. et obs. 26. n. 18. Carpzou. *P. 3. C. 24. Def. 8. n. 1.* Berlich. *P. 3. Concl. 30. n. n.* Struu. *S. I. F. c. 6. aph. n. 11. seq. et in. S. I. C. Ex. 45. th. 104.* inibique all. Hahn. et Hering, *Tr. de Molendin. c. 8. n. 49.*

§. XXXIX.

Nec aliam sane rationem (3.) Decimarum (4) annuorumque Redituum, der Renten, esse contendimus. Sicuti enim palam est, reditus annuos, quorum dies nondum cessit. Gail. *Lib. 2. O. 10. per. tot.* Tiraquell. *De Retract. Lignag. §. 1. Gloss. 6. n. 3.* Mynsinger. *1. Obs. 69.* Meu. *ad Jus Lub. L. 1. T. 2. a. 5. n. 28.* ac decimandi jus, fictione juris rebus annumerari immobilibus Vid. Dn. Zesterfleeth. *in Disp. De Decimis Laicor. Th. 18. inibique all.* Tiraquell. *De retract. Gentil. §. 1. Gloss. 7. n. 33.* Reinking. *De Retract. Consanguin. qu. 3. n. 104.* Berlich. *P. 2. Concl. 13. n. 28.* Ita in annuorum redituum venditione resignatione judiciali opus esse, docet expresse jus Lubecense *L. 3. Tit. 6. art. 2. et 3.* Idemque in alienatione decimarum obseruari constat ex Vinnio, *ad §. 41. I. De R. D. n. 4. inibique all.* Grotio, *aliisque* Jure siquidem Batauorum ad translationem decimarum easdem priuatim traditas esse, non sufficere, sed necesse esse, vt illarum traditio publice fiat, et coram judice illius loci, vbi res sitae sunt, docet Vinnius *dict. loc. Conf. d. Dissert. Dn.* Zesterfleeth *Th. 22.*

§. XL.

Sed et (5.) actiones pro rebus immobilibus competentes hic neutiquam exulare debere censemus; sicuti enim liquet, hasce ciuiliter rebus accenseri immobilibus, Anton. Gabriel *in Comm. Concluf. 7. Tit. De. V. S. n. 5.* Gail. *2. Obs. 11. n. 9. seq.* Meu. *ad Jus. Lub. d. l. n. 33. et* Lauterbach. *ad Tit. De R. D.* Ita non minus ad illarum, quam ipsarum, ad quas competunt, rerum immobilium alienationem *judicialem* desiderari *resignationem*, defendere nulli dubitamus.

§. XLI.

§. XLI.

Nunc ad FORMAM accedimus, qua neglecta, omni suo *Resignatio judicialis* destituitur effectu, vtpote quae dat esse, ac operari. Non autem deprehendimus hanc vbique eandem, sed diuersis locorum statutis subinde aliam atque aliam introductam. Neque festinatio ac instantis itineris meditatio permittunt varios variorum mores ac consuetudines curatius rimari. Veterem apud Saxones resignandi solennitatem cognoscere datur ex Landr. *L. 1. a. 52. et Gloss. in* Weichbild. *ad a. 20. n. 19. seqq.* Qui vero in Ducatu Cliuiae vsitatam resignandi solennitatem mit Hand, Halm und gühtigen Munde expediri solitam scire auet, adeat D. Gerhard. Feltm. *in Tract. De jur. in re et ad rem. c. 13. n 34. et 35.* Geldriae mores discere licet ap. Frideric. a Sande *Comment. in Consuetud. Geldr. Tract. 2. c. 1. n 6.* jung. Struu. *S. I. F. c. 13. aph. 9. n. 6.* es Excel. Rehtius *in Comm. Feud. ad. 1. F. 4. n. 16.* Quid in Dicasterio Rotwillensi Caesareo mulierem bona sua transferre volentem obseruare oporteat, exhibet Stryk. *Tr. De jur. Sens. Diss. 7. De Tact. c. 1. n. 42.* Jure Lubecensi *resignatio judicialis* hoc expeditur modo; scilicet Venditor vna cum emptore coram consessu Senatus publice pro tribunali sedentis vorsitzenden Rath, vt habent verba articuli *2. Tit. 6. L. 3.* Wann er öffentliche Audientze giebet, comparet, inibique producto contractu, voluntatem suam de cedenda emptori re vendita, judicialiter declarat, rogitans vt Cessio die Verlassung, solenniter fiat. Tum vero vnicuique, qui ex istiusmodi cessione damnum metuit, hisce precibus intercedere integrum est; quod si intercessionis vel non justa, vel aperte iniqua appareat caussa, non justificata recte rejicitur, aut non attenditur contradictio. Si aliquid caussae praetexitur, siquidem vtraque parte audita, in loco de veritate et jure decernere liceat, statim Senatus, quid faciendum, Decreto determinat: Vbi vero ampliori discussione res indiget, partes modo ad Processum Summarium, modo ad Ordinarium pro diuersa rerum qualitate, remittuntur. Facta Decisione,

rejectaque contradictione Senatus solenni Cessioni suffragatur, quae tum ab aliquo Senatorum consulta formula ac ritu expeditur. Quo peracto rogari solet Inscriptio in Librum Ciuitatis die Einschreibung in das Stadt-Buch, quae coram custodibus illius Libri, veluti apud nos Camerariis a Senatu antea decreta, rite expeditur. Vid. Meu. *ad I. Lub. Lib. 3. Tit. 6. art. 1. n. 18. seqq.* Alibi data coram Senatu dextra venditor judicialiter Praetoria hac compellatus voce: So gebet die Hand und verlasset, resignare solet. Tam stricte autem vbique locorum hanc conuenit obseruari resignationis formam, vt ea temere neglecta, nil videatur agi, neque dominium in accipientem transferri, cum paria sint, aut non fieri, aut non legitime fieri.

§. XLII.

Num ergo solenni resignatione neglecta contractus alienationis inualidus est? Ita ex proxime dictis concludendum esse videbatur. Verum quanquam alienatio sine praeuia *resignatione* effectum transferendi dominii non operetur, aeque vt ante traditionem emtor rei venditae non fit dominus, quin tamen producat effectus venditionis primo perfectionis gradu perfectae, eo minus dubitamus, quo certius nouimus hanc resignationem vice traditionis fungi, sicque emptionis substantiam absque illa saluam esse. Hinc (1.) Neutri resilire a contractu fas esse, sed (2.) venditorem actione emti teneri ad resignandi necessitatem, recte infert JCtissimus Meu. ad *a. l. Tit. 6. Lib. 3. Jur. Lub.* Cui addimus (3) Periculum, simul ac partes de pretio conuenere, nec non commodum in emtorem redundare, licet venditor judicialiter nondum *resignauerit. arg. §. 3. I. de emt vend. L. 7. §. 8. ff. De Peric. commod. Rei vend. L. fin. et pen. C. eod.* Vid. Carpzou. *P. 2. C. 26. D. 10.* Nisi sit conditionalis venditio vbi re in totum pendente conditione peremta, periculum est venditoris Carpzou. *P 2. C. 26. D. 20 per. L. Necessario 8. ff. De pericul. etc. et L pen. C. eod.* jung. Harpr. *Tit. De empt. n. 7.* Re autem

tem saltem deteriorata vel pendente conditione ante judicialem resignationem pro parte peremta, periculum emtorem manet. *d. L. 8. in pr. d. t.* inibique Gothofred. Carpz. *P. 2. C. 26. D. 22.* (4.) Quod si certum tempus pacto de retrouendendo adjectum sit, illud currat non a tempore demum factae *resignationis*, sed contractae ac perfectae emtionis.

§. XLIII.

Coronidis loco non inepte hic quaeritur: Cum ex hactenus dictis satis liqueat, emtione solo consensu perfecta venditorem inuitum ad *resignandum* compelli posse; *Quid ergo juris sit, si quidem venditor jure Lubecensi resignauerit, sed ante procuratam* INSCRIPTIONEM Ehe die Verlassung in der Stad Erb Buch geschrieben würde, *moriatur*; *An sufficiat inchoatum esse actum*: *An vero alterum requisitum ab heredibus addi*: *An denique et resignationem repeti necesse sit?* Decidit in terminis hanc quaestionem *Jus Lub. 3. T. 6. a. 2.* his verbis: Stürbe aber der Verkäuffer ohn das die Verlassung in der Stad Erb-Buch geschrieben würde, so sollen doch nichts desto weniger desselben Erbe dem Keuffer nochmahls verlassen und zu Buch bringen lassen etc. Vnde abunde constat, heredes venditoris ad reiterationem primi actus der Verlassung teneri. Cujus JCtissimus Meuius hanc subjicit rationem; Nedum alius cedit, et ipsius nomen in libro publico inscribitur, olim inde forte disputatio oriatur. Nec longe hoc a Juris Ciuilis regulis discedit, vtpote quo heredes ex nostris contractibus L. *Ex Contractibus ff. De O. et A.* tam actiue, quam passiue obligantur. *L. Vn. C. Vt Action. ab hered.* licet Jure Saxonico heres pretium emtori restituere paratus, venditionem praecise adimplere. non cogitur. Landr. *art. 9. Lib.* 1. COLER. *P. 1. Dec. 8. n. 3.*

CAP. III.

EXHIBENS IVDICIALIS RESIGNATIONIS INSIGNES EFFECTVS.

Summaria.

§. I.

Primus Resignationis Judicialis *Effectus est, quod hac praeuia contractus pro judiciali habeatur.*

§. II. *Rite expedit a Jure Lubecensi* Resignatio Judicialis *rem facit notoriam, nec extrinsecam probationem desiderat. Semper in Magistratu testium multitudo et justitia actus praesumitur.*

§. III. *Secundus* Resignationis Judicialis *Effectus est, quod* Processui Executiuo *locum faciat.*

§. IV. *Tertius* Resignationis Judicialis *Effectus est valida in accipientem dominii translatio. Quodcunque justo vestita titulo Iure Ciuili operatur traditio, id Iure Lubecensi et Saxonico legitime expedita efficit* resignatio.

§. V. *Ratio dubitandi prima proponitur et respondetur ad eandem.*

§. VI. *Defenditur contra Instantiam data responsio. Ratio dubitandi secunda proponitur et ad illam respondetur.*

§. VII. *Sola* resignatio *absque Iudiciali traditione et inuestitura in Foro Saxonico et absque Inscriptione in Librum in foro Lubecensi non transfert Dominium. Sine* Resignatione *tamen, neque Inuestitura Iudicialis, neque Inscriptio in Librum publicum rem pleno Iure accipientis facere possunt.*

§. VIII. *Quartus Effectus* Resignationis Judicialis *est, quod* praedio feudali *duobus vendito ac tradito, hic praeferendus sit, qui praeuia* resignatione *consensu primo legitimam possessionem nactus est.*

§. IX. Praedio allodiali *itidem duobus vendito et tradito, idem juris est.*

§. X. *Emtor nondum facta* resignatione *creditori suo in re sibi vendita atque tradita hypothecam constituens, nil securitatis in eundem transfert.*

§. XI. *Venditor facta* resignatione *pro residuo pretii obtinendo, moto Cridae processu, reliquis hypothecariis non praefertur. Praefertur tamen h. e. Chirographariis. Non facta* Resignatione *Venditor dicto casu etiam priuilegiatis praefertur. Sicuti, si facta licet* resignatione *venditor in casum non soluti*

leti pretii sibi dominium reseruauit, illis anteponitur.

§. XII. *Quintus* Resignationis Judicialis *Effectus est, quod in foro Saxonico praesertim Electorali cesset Retractus linearis.*

§. XIII. *Sextus* Resignationis Judicialis *Effectus Iure Lubecensi est, quod post annum et diem, possessor exceptione praescriptionis contra omnium inquietationes tutus sit. Quaecunque publico ciuitatis libro inscribuntur, post annum et diem frustra impugnantur. Hinc* exspirat *hoc tempore actio rei vindicatoria nec non hypothecaria. Habet tamen priori casu dominus actionem saluam aduersus venditorem ad interesse, et posteriori Creditor contra debitorem ad interesse et consequentum creditum. Defenditur aequitas et utilitas hujus juris. Qui patitur tempora lege agentibus definita labi, juri pro se introducto renunciasse creditur.*

§. XIV. *Magistratum sanctam semper libri publici fidem seruare oportet. Quibuscunque modis alia quaeuis praescriptio interrumpitur, iisdem etiam efficitur, quo minus annus et dies currat his, in quorum praejudicium cedere videntur, quae libro publico inscripta sunt. Protestatio publica annalem praescriptionem interrumpit. Non aeque priuata. Clam facta protestatio nunquam protestanti suffragatur.*

§. XV. *Anni et Diei Praescriptio a die* Resignationis *currit.*

§. XVI. *Quod si diuerso tempore res alienata* resignata et inscripta *fuerit, ab inscriptionis die annalis praescriptio currere incipit.*

§. XVII. *Annus et dies ratione* initii *utilis ratione vero* cursus *continuus est. Currit hoc tempus saltem scientibus. Ignorantia hic non praesumitur. Sed juramento probanda est. Iuramentum justum illorum, quae in animo consistunt, probandorum remedium est. In Praxi etiam ex capite justae ignorantiae restitutioni in integrum locus est.*

§. XVIII. *Absentes alii* naturaliter *alii* ciuiliter *sunt tales. Currit his annalis praescriptio ab illo tempore, quo pro scientibus habentur.*

§. XIX. *Dies hic non, ut jure Saxonico, spatium 6 Septimanarum complectitur.*

§. XX. *Septimus* Resignationis Judicialis *Effectus est, quod post annum et diem venditor emtori ad euictionem amplius non teneatur.*

§. XXI.

§. XXI. *Octauus* Resignationis Judicialis *Effectus est, quod liceat emtori alia non expectata traditione, vacantem rei vendita possessionem occupare.*

§. XXII. *Conclusio.*

§. I.

Cum parum sit jus nosse, si quem in foro producat effectum quidque operetur illi, cujus causa constitutum dicitur, ignoretur, merito circa quemcunque Juris articulum, ne inutile videantur suscepisse negotium, nulli nisi otiosa curiositate se delectanti profuturum, nouam juris constitutionem promulgaturos, ciuibusque suis nouam contrahendi regulam praescripturos, utilitatem ejus, quosque inter ciues nouum Jus nouos parere effectus debeat, prudenti utique consilio respicere oportet. Neque alia prima illis cura magis cordi esse debet, exactam noui qui Juris euolutionem scriptionem sua complecti sibi sumunt, quam, ut commentationem suam insigni, quam lecturis suauiter promittit, utilitate commendent. Quare operam neutiquam lusuri videmur, si hoc capite ultimo varios, quos *Resignatio Iudicialis* in foro partim Saxonico, partim Lubecensi producit EFFECTVS, paulo pensiculatius examinandos susceperimus.

§. II.

Quos inter primum occupat locum, quod hac praeuia solennitate, contractus Jure Lubecensi *pro judiciali* habeatur, publicorum inde actorum vim atque fidem sortiturus. Meu. ad Ius Lub. *Lib. 3. Tit. 6. a. 1. n. 8.* Cum enim hoc Iure *Resignatio Iudicialis* tum omnibus demum numeris absolui noscatur; quando Iudiciali Cessioni Publica in Librum Ciuitatis publicum Inscriptio accessit. Meu. *d. l. art. 2. n. 1.* hoc pacto expedita *resignationis* solennitas rem liquidam, claram atque notoriam efficit. Coler. *de Proceſſ. Executiu. P. 4. c. 1. n. 50.* nullius extrinsicae amplius probationis indigam. *Arg. L. Gest. 6. ff. De Re judic. L. Apud. 2. C. De. Edend. c. Olim. X. De V. S.* Coler. *d. Tr. P. 3. c. 2. n. 20.* sed Senatus authoritate, quo in

quoin testium multitudo, Castrensis, Jason, Brunnem. et *Ddres. communiter.* ad *L. Omnium C. De Testament.* Mynsing. *Cent. 6. Obs. 29.* Carpz. *P. 3. C. 3. D. 11.* Francisc. Barry. *L. 1. Tit. 2. n. 4.* ac actus Iustitia nunquam non praesumitur. *L. 2. C. De Offic. Ciu. jud. inibique* Brunnem. *L. Injuriarum 15. §. is qui. ff. De. Injur. L. Iniquum. 17. L. pen. et ult. C. De. his, qui accus. non poss.* Menoch. *Lib. 2. praes. 67.* Mascard. *De. Probat. Concl. 1006. n. 21.* Barbosa *ad. L. 2. C. De off. ciu. jud. et Lib. 9. Tit. 89. axiom. ult.* Christin. *Dec. 83. n. 2. Vol. 2.* et publico totius ciuitatis, fidem ac robur Libri publici, qua decet obseruantia ac reuerentia, agnoscentis consensu suffultam. Meu. ad Jus Lub. *Lib. 5. Tit. 6. a. 1. n. 9.*

§. III.

Vnde oritur EFFECTVS SECVNDVS, sc: Quod taliter expedita *resignationis* solennitas, *Processui Executiuo* et *Summario*, vt in liquidis, locum faciat, Judice a praecepto hic recte incipiente, fidem adimplere nolenti certum praefigendo terminum, quem intra datam liberare fidem inuitus jubebitur. Vid. Mindanus *De. Mandatis. Lib. 2. cap. 66. n. 4. et 5.* Meuius *Ad Ius Lub. Lib. 3. Tit. 6. a. 1. n. 9. et L. 5. T. 6. a. 1. n. 5.*

§. IV.

TERTIVS *Resignationis Judicialis* EFFECTVS est valida dominii in accipientem translatio. Neque enim aut jure Lubecensi. Vid. Lübsche Stadt-Recht. *L. 3. Tit. 6. a. 1. verbis:* So muß dieselbe vor dem Raht verlassen werden *et n. 2. d. L. 3. Tit. 6. verbis:* Die sollen dehm Keuffer vor dehm Sitzenden Raht verlassen werden inibique Meuius. aut Jure Saxonico. Land-Recht *L. 2. a. 30. et Constit. Elect. Nouiss. 61.* Jacob. Schultz. *in Addit. ad* Coler. *P. 2. Dec. 279.* Peter Heig. *P. 2. Quaest. 17. n. 18. et Qu. 18. n.* 9. Simon Pistor. *in. Not. ad* Hartm. Pistor. *Obs. 230. n. 57.* Rauchbahr. *P. 1. qu. 6. n. 34.* alibiue locorum, vbi haec traditionis solennitas vsu fori recepta est. Gabr.

Mudaeus *De. Pign. c. Quemadmodum hypothec. contr. n. 25.* Wamesl. *L. 3. c. 486. et Consit. 499. n. 5.* Frider. a Sande. *cum notis* Lamb. Goris *Fr. Do Effustucatione. c. 3.* Valer. Andr. Dessel. *in Addit. ad* Zoes. *Inst. Tit. d. R. D. n. 76.* aliter rerum immobilium in accipientem deriuari dominium potest, quam si Judicialis praecesserit Resignatio. Sicuti enim Jure Ciuili, cui resignandi necessitas incognita est, venditione solo consensu perfecta, venditor rei venditae dominus esse haud desinit §. 3. *I. de Emt. L. 41. ff. De furt. L. Si ager. 50. ff. De R. V.* proprietate nudis pactis et conuentionibus a proprietario non abitura. *L. 20. C. De Pact. inibique* Brunnem. sed accedat traditio necesse est. *d. L. 20. et §. 40. §. de. R. D.* Ita, vbi resignationis solennitas ad consummandum actum ac contractum praeter traditionem Localibus statutis introducta, aut vtentium moribus recepta est, effectu traditionis defunctura, non aliter res pleno in accipientem Jure deuoluitur immobilis, nisi Judicialiter venditor antea Juri, quod transferre discupit, suo renunciauerit: Wo er es nicht zuvor Gerichtlich verlassen hatt. Ludou. Fasch. 1. *differ. Iur. Sax. 4.* Christ. Zobel *Part. 2. Differ. 28. n. 1.* Dan. Moller. *Ad Const. Saxon 23. P. 2. n. 16.* inibique Reinh. Rosa. *In Addit.* Berlich. *P. 2. Concl. 14 n. 3.* Vt hinc, quod justo vestita titulo operatur jure Ciuili traditio, id Jure Lubecensi et Saxonico Legitime expedita efficiat resignatio.

§. V.

Nec aduersatur hactenus dictis (1.) quod magni nominis JCti Saxon. ad rei allodialis, solis bonis emphyteuticis ac censiticis, nec non feudalibus exceptis, validam alienationem ac dominii translationem Jure Communi Saxonico neutiquam resignationem desiderari autument, omnes a nostrae sententiae Patronis adductos Juris Sax. textus, ad donationem duntaxat auitorum bonorum, nunquam non fraudibus ac dolosis machinationibus obnoxiam, restringentes, nostramque assertionem, ipso Juris Saxonici textu destitutam, a Glossa primo Latina excogitatam, deinde vero authoritate

tate Authorum Differentiarum aliorumque Doctorum coeco quodam suffragandi impetu illorum vestigia prementium, commnnemque errorem errantium confirmatam esse arbitrantes; quos inter agmen ducere videtur Excellentissimus Frantzkius. *L. 2. Resol. quaest. 12.* Junctis Struuio *in S. I. C. Exerc. 22. th. mihi. 108. in fin.* et Richtero. *De. Concurs. Credit. c. 2. membr. 19. n. 17.* Respondendum enim est cum Carpzouio *P. 2. Decis. 127. n. 15. seqq.* inibique plena manu allegatis Dbus. Obseruantiam fori Saxonici longe certissimam, qua de praeter propriam multorum annorum experientiam, omnes a Carpzouio adducti Ddres vnanimibus suffragiis testantur, validissimum asserto nostro tribuere praesidium; vnde magis quam ex verbis, authoritatem Juris Saxonici aestimare conuenit.

§. VI.

Neque mojoris. (2.) momenti est, quod non vsque quaque expeditam hanc esse Obseruantiam reponat Ictissimus Frantzkius d. l. Scabinis Lipsiensibus aeque ac Wittenbergensibus, Jenensibusque non stricte semper hanc sententiam amplectentibus, retro id Judicatorum fide luculenter testante. Recte enim supra allegatus monet Carpzouius *d. Dec. 127. n. 19.* Vel certas facti circumstantias, Juris applicationem nunquam non variantes, contraria extorsisse pronunciata, vel communis obseruantiae neglectum iisdem caussam dedisse, cum, (*verbis vtimur Carpzouianis*) non raro nouelli in Dicasteriis Assessores rectius sibi sapere videantur, vel saltem decisa Antecessorum ad theoriam et disputata Academica reuocent, ambiguaque reddant, vsque dum errore suo cognito, ad placita Antecessorum redeant, quae facile aspernari piaculum sibi alii ducunt.

§. VII.

Sicuti nec hactenus dictorum fidem subuertit, vel saltem dubiam facit, quod male hic a nobis effectus transfe-

rendi dominii soli tribuatur *Resignationi Judiciali*, cum tamen haec de Jure Saxonico sine *Judiciali Traditione* ac *Inuestitura*. Carpzou. *L. 5. R. 41. n. 9. et L. 1. Resp. 102. n. 1.* et de Jure Lubecensi, sine *Inscriptione* in Librum publicum Meu. ad Jus Lub. *Lib. 3. Tit. 6. a. 2. n. 1.* rem non faciat accipientis. Respondendum enim est: Nos hic non spectare Resignationem *inchoatiue* duntaxat, sed *completiue*, prout perfecta est, i. e. omnibus suis constat partibus *arg. L. 1. ff. De O. I.* et eatenus resignationi effectum transferendi dominium tribuere. Quanquam nec inepte dici possit, respectu ad intentionem et voluntatem *resignantis* habito, *resignationem Judicialem* operari effectum transferendi dominii: Sicuti enim jus Ciuile in transferendo mediante traditione, positis terminis habilibus, dominio, potissimum attendit voluntatem volentis rem suam in alium transferre, illamque tum ratam habet. §. *40. ff. de R. D.* Ita, vbi, praeter traditionem, statuta *resignationis* desiderant solennitatem ad transferendi dominii effectum, potissimum ad voluntatem serio *resignare* volentis respiciunt, vt tum, quantum ad hunc attinet, dominium in accipientem transisse videatur, si hic modo omni juri suo rite renunciauerit. Accedit, quod vtroque jure tam Inuestituram, quam Inscriptionem in librum ciuitatis publicum Judicialis praecedat *Resignatio*. Neque enim aliter noui possessores de bonis immobilibus inuestiri possunt, nisi prior et antiquus possessor suae inuestiturae verbis expressis renunciauerit. Hartm. Pistor. *Obs. 230.* Carpz. *L. 5. Resp. 41. n. 7.* Vt ergo et hoc respectu recte *Resignationi Judiciali* hic effectus deriuandi dominium in accipientem detur, qua sine neque Judicialis inuestitura, neque in Librum Ciuitatis inscriptiorem alienatam accipienti pleno addicere effectu valitura est. Confer. Carpzou. *d. L. 5. Resp. 41. n. 6. et 10. inibique all. Lctres.*

§. VIII.

Fluit ex proxime dictis suapte quasi vi QVARTVS EFFECTVS Resignationis judicialis, scilicet quod praedio feudali

dali duobus vendito ac tradito, ille praeferendus sit, qui *praeuia resignatione judiciali* consensu Domini primo possessionem adeptus est. Quanquam enim illum, cui feudum cum consensu Domini venditum traditum est, alteri, qui praeuia resignatione judiciali ejus possessionem nactus est, praeferendum esse videri possit per. *L. 15. C. De R. V.* vbi Imperatores Diocletianus et Maxim. ita rescripsere: Quoties duobus in solidum praedium jure distrahitur, manifesti juris est, eum, cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potentiorem; vt vi hujus Rescripti sic satis expeditum esse videatur, eum, qui prius per traditionem jus reale in praedio feudali est consecutus, praeferendum esse alteri, qui posteriori possessionis jure nititur Jason. *ad d. L. Quoties De. R. V.* Schnurrius *Consi. 53. Vol. 1.* Zasius *et Feud. P. d. n. 16.* et Schrader. *De feud. P. 5. n. 2. n. 19.* Quia tamen ad praelationem in jure dominii non sufficit nuda detentio, sed possessio *justa atque legitima* sit, necesse est, qualis non est, desiciente *judiciali resignatione*, cum hac non praeuia, Vasallus licet feudum alteri vendiderit, tradideritque, possessionem tamen ac dominium vsque ad illud tempus retineat, quo feudi *resignationem*, coram Domino faciat. Hartm. Pistor. *Obs. 230. n. 1. et* Coler. *De Process. Executiu. P. 1. c. 10. n. 166.* Vtique potior illius conditio erit, qui mediante *resignatione Judiciali* Domini consensu legitimam feudi possessionem nactus est, illo, qui sine *Judiciali resignatione* prius feudum venditum traditumque accepit. Vid Carpzou, *Lib. 5. Resp. 41. per tot.*

§. IX.

Nec alia ratio est in praedio allodiali duobus vendito et tradito. Nam et h. c. ille alteri praefertur, in quem possessio non quomodocunque, sed *Juste et legitime*, i. e. praeuia Judiciali cessione et *resignatione* translata est. Vid. Carpz. *d. l. Resp. 41. per. tot.* et Meu. *ad. Jus Lub. Lib. 3. Tit. 6. a. 1. n. 10.*

§. X.

Cum ergo ante *Iudicialem resignationem* venditor vel alienans dominus maneat, ejus consectarium est, emtorem hac non facta, creditori suo in re alienata atque tradita hypothecam constituentem, nil quicquam securitatis ac roboris per istiusmodi hypothecam in ipsum transferre. Cum enim alienae rei oppignoratio Ius firmum ac reale Creditori haud tribuat. *L. 2. ff. De Pign. Act. L. 1. 2. 6. et 7. C. si. alien. res pign. dat. sit. inibique* Brunnem. Neguzantz. *De Pign. P. 2. memb. 3. n. 52.* Molina. *De I. et I. Tr. 2. Disp. 529. n. 3. et 4.* debitore in re non sua Ius aliquod alteri constituere non valente *L. Nemo 54 ff. De R. I. L. Qui filias 6. C. Quae res pign. obl. possit.* parum Creditor hac sibi hypotheca consulturus est: Carpzou. *p. 2. Decis. 127. n. 3. seqq.*

§. XI.

Illud etiam facile ex hactenus deductis liquescit. Cum praeuia *resignatione* dominium in emtorem abeat, venditorem pro residuo pretii obtinendo reliquis creditoribus vel hypothecariis, vel priuilegiatis, modo Cridae processu, haud praeferri. Vt ut enim non facta *resignatione*, qua dominus rei venditae cunctis Creditoribus etiam anteriorem hypothecam habentibus praeferatur. Rauhb. *P. 1. qu. 6. n. 12.* Neguzant. *d. Tr. P. 5. memb. 2. n. 18.* Dan. Moller. *Lib. 1. Semestr. 4. n. 1.* et facta licet resignatione, Iure priuilegii personalis gaudeat, cunctis anteponendus chirographariis. *Ordin. Iudic. Elect. Sax. Tit. 49. §. fin.* verbis: Im gleichen, da einer etwas verkauffet hatte, und ihm von der Kauf-Summa was hinterständig, er aber hingegen sonsten nicht versichert wäre, wollen wir ihm hiemit gleichfalls ein personale priuilegium gegeben haben. Hoc tamen casu intuitu residui ipsum Creditoribus hypothecarius posthaberi docte demonstrat Carpzou. *P. 1. Const. 28. Def. 21. per. tot.* ubi. *n. 1.* docet: Hoc tamen pati exceptionem, si venditor in casum non soluti pretii rei venditae dominium sibi reseruauerit.

§. XII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1780201907/phys_0060
DFG

§. XII.

QVINTVS Resignationis Iudicialis EFFECTVS est, quod hac legitime facta, in foro Saxonico praesertim Electorali, cesset Retractus Linearis per expressam *Const. Elect. 31. P. 2. verb.* Ehe die Güter traditet und aufgelassen. Berlich. *P. 2. Concl. 39. n. 17.* Coler. *Dec. 16. n. 8.* Stryk. *Tr. De Success. ab intestat. Diss. 6. Cap. 4. n. ult.*

§. XIII.

SEXTVM, eumque sane insignem Resignationis Iudicialis EFFECTVM colligere est ex Iure Lubecensi, scilicet, Quod, si alienationis contractum subsequatur solennis et publica *Resignatio, nec non Inscriptio* in librum publicum die Verlassung und Einschreibung, anno et die praescribatur omnibus, contra res venditas aut aliter alienatas competentibus actionibus, ita, ut hoc temporis spatio praeterlapso, acturi, praescriptionis exceptione a limine judicii repellantur, Lübsche Stadtrecht *L. 3. art. 3. Tit. 6.* verbis: Der soll es binnen Jahr und Tag thun, nach dieser Zeit soll er nicht zu gelassen werden, cum quo consspirat Ius Hamburgense. *P. 1. a. 3. Tit. 30.* Hanc quippe vim communem esse illorum, quae publico ciuitatis inscribuntur libro, ut emenso anno atque die, nulli amplius impugnationi obnoxia sint, euidenter euincit jus Lubecense. *L. 5. Tit. 6. a. 1.* verbis: Wird etwas in des Raths Oberste Stadt-Buch geschrieben, und solches würde in Jahr und Tag, nicht angefochten, so kan darauf künftig niemand eine Rede thun. Vnde conjectu facile est, exacto anno atque die, rem praeuia *resignatione* venditam, tanquam suam vindicaturum non audiri, integra tamen ipsi actione contra venditorem ad id, quod sua interest. Vid. Meu. *ad jus Lubec. L. 3. Tit. 6. a. 3. n. 6.* Vbi *numero 7. et seqq.* id etiam ad actionem hypothecariam, hypotheca in re vendita publice constituta, extendit, ut hac quoque exacto anni die spacio, experiri non liceat, salua tamen et hoc casu creditori contra debitorem actione ad petendum creditum et interesse. Idem. *d. l. n. 12.* Quae

iu-

juris constitutio licet juri communi, quo actiones omnes non nisi longo vel longissimo tempore fato suo defunguntur ac terminantur *L. 3. et t. t. C. De Praescript. 30. vel 40. ann. inibique* Brunnem. aperte refragetur, non tamen eam aequitate ac utilitate carere opinari fas est: Praeterquam enim, quod e re maxime Reipublicae visum fuerit, ne rerum dominia semper in incerto sint, atque litium amputarentur occasiones, et in tranquillo Respublica floreat statu, metam actionibus ponere, quamquam saepe prolixiorem, quanto magis ad abbreuiandas litium molestias expediet, justo et salutari remedio tempus illud magis coarctare, quod, si quis supina correptus negligentia temere labi passus fuerit, desidiae suae luet poenam. Nec habet cur conqueratur; Qui enim tempore lege agentibus definito non utitur, juri suo tacite videtur renunciasse, damnum non sensurus, sua quod culpa sentit. *c. Damnum 86. de R. J. et ibi.* Stryk. *L. 203. ff. de R. J.* Accedit, quod inscriptio publico expediatur loco, ad quem omnibus patet accessus, et singulis, qui damnum inde reformidant, integrum sit, copiam inspiciendi, quid inscriptum sit, impetrare, ut hinc, quo major illorum, quorum interest, eo justior haec noscatur esse praescriptio. Et licet tandem temporis breuitas uni praejudicio esse possit, id tamen commodo in multos pensatur, quibus inde quies est, et aduersus ampla alias litigia securitas. Meu. ad Ius *Lub. Lib. 5. Tit. 6. art. 1. n. 10.* Vbi *n. 11. et seqq.* hanc caussam permouere debere Magistratum, recte subjicit, ut sanctam semper seruet libri publici fidem, nec eam per affectus, desideria, aut disputationes partium, nedum sua decreta temerari patiatur, cum longe magis peccetur in remp. quantum saepe uni hac in re indulgetur.

§. XIV.

Intra annum ergo et diem inscriptionem impugnare fas est: *Sed quibus id fieri remediis debeat, non impertinenter hic quaeritur?* Nos, ne modum migret Disputatio, quae praeter intentionem sub manibus creuit, generalem hic ponimus Regulam: *Quibuscunque modis alia quaeuis praescriptio interrumpitur,*

pitur, iisdem etiam efficitur, quo minus annus et dies currat his, in quorum praejudicium cedere videntur libro publico inscripta Vid. Meu. *proxime all. loco. n. 21.* ubi *n. 22. seqq.* subjicit: Protestationem publicam intra annum et diem interpositam recte annalem praescriptionem interrumpere, non itidem clam, aut nescia altera parte, vel Senatu factam. Haec enim protestanti nunquam suffragatur. *L. aut qui aliter. 5. §. 1. et 2. ff. Quod vi aut clam. inibique* Brunnem. Bartol. *ad L. Non solum. §. Morte. n. 28. ibidemque* Jason. *ff. De. Nou. oper. nunc.*

§. XV.

A quo autem annus et dies Jure Lubecensi currere incipiat tempore; Num a die *venditionis*, An vero a die *factae Resignationis*, cum id expresso juris textu nullibi decisum deprehendamus, saepe disputatum meminimus? Nos illis adstipulamur, quibus placet *Resignationis* diem, tanquam terminum a quo hujus praescriptionis attendendum esse. Mouemur (1) textu *a. 1. et 2. L. 3. T. 6.* Vbi tempus, intra quod alienans de euictione tenetur, currere incipit a tempore *Resignationis.* E. Par ratio erit hujus annalis praescriptionis, vtpote qua completa, cessat euictionis praestandae necessitas. (2.) Quod non alienationi, sed inscriptioni in librum publicum hic effectus tribuatur. *a. 1. Tit. 6. L. 5.* Nec (3.) absque ea venditio pro perfecta effectiue habeatur. Confer. Meu. *ad a 3. L. 3. Tit. 6. n. 20. seqq.*

§. XVI.

Haec quidem procedunt, si *resignatio et Inscriptio* vno eodemque tempore expediatur. Quid autem si ob justam alicujus contradictionem Inscriptione suspensa, venditor saltem *resignauerit?* Et Respondemus hoc casu *Inscriptionis* momentum praescriptioni initium praebere. Non enim statuto satisfieri videtur, nisi *resignationi* per *Inscriptionem* vltimum complementum accesserit, de quo supra fusius egimus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1780201907/phys_0063
DFG

§. XVII.

Dum Praescriptionem annalem, vno tempore *Resignatione* et Inscriptione expeditis, initium accipere a *Resignationis* die diximus, id ita accipi nolumus, ut hoc tempus tam ratione *initii*, quam ratione *Cursus* continuum esse inde temere quis inferre vellet. Non enim quidem diffitemur, annum ratione *cursus* continuum esse inde temere quis inferre vellet. Non enim quidem diffitemur, annum ratione *cursus* continuum esse; At vero eundem ratione *initii* vtilem esse juxta statuimus, non solum *absentibus* per expressum textum *a. 3. L. Tit. 6. et a. 1. L. 5. T. 6.* sed etiam *praesentibus*, vt vtrique Justa ignorantia non obsit. Quod si ergo praesens ignorantiam, quae quidem, inscriptione in publico loco fieri solita, indeque nulli non obuia, Bertazol. *in Tract. Clausular. 31. glos. 2. n. 18.* hoc casu vix sine rubore et falsi suspicione obtenditur. Bartol. *in L. Si Tutor. C. De Peric. Tut.* Gabriel. *Com. Opin. Lib. 6. Tit. De R. I. Concl. 5. n. 19.* non affectatam *L. 2. §. vlt. ff. Siquis, caut. L. Qui contra. C. De Inces. Nupt.* si non aliter, Juramento, quod Justum illorum, quae in animo consistunt, probandorum remedium est. Heig. *P. 1. qu. 40. n. 20.* Carpzou. *P. 2. C. 22. D. 6.* certo ac liquido probauerit, etiam post annum et diem impugnaturum, quae libro publico inscripta sunt, audiendum esse arbitramur. Tum, quod Jure ciuili ignorantibus tempus annale aut breuius non currat. Tiraquell. *De Retract. signat. §. 35. Gloss. 4. n. 1. et 22.* Meu. *ad a. 1. Lib. 3. Tit. 5.* Hartm. Pistor. *L. 2. qu. 12. n. 26.* Tum, quod in aliis articulis Jure Lubecensi annus et dies ad scientes saltem restringatur. Vid. Meu. *ad a. t. Tit. 8. Lib 1. n. 37.* et *d. t.* Tum quod, quae ratio absentibus demum a tempore scientiae voluit hanc obesse annalem praescriptionem, scilicet, quod justa ignorantia nemini damno esse debeat, eadem et pro praesentibus, sed juste ignorantibus militet. Tum denique, quod communis et Praxi recepta sit sententia, ex Justa ignorantiae causa etiam aduersus tricennalem praescriptionem, nedum minorem, dari in integrum

grum restitutionem. Cardinal. Tusch. *Tom. 6. Pract. Concl.* §. 5. 87. *n.* 3. Gail. 2. *Obs.* 19. *n.* 18. Zanger. *De Except. P.* 3. *c.* 10. *n.* 227. Sfort. Odde *De Rest. in integr. P.* 2. *qu.* 90. *a.* 4. Boer *Dec.* 39. *n.* 1.

§. XVIII.

Absentes alios esse *naturaliter*, alios *ciuiliter* tales nulli non notum est. Illis, cum annus et dies demum a tempore currat scientiae per *proxime dicta*, his v. gr. Furiosis, Mente captis, Pupillis, Minoribus etc. a quo annus currat tempore videndum? Et Verius est, illis annum et diem cedere ab illo tempore, quo pro scientibus habentur, i. e. quo ad intellectum rerum peruenerunt. Meu. *ad Jus. Lub. Lib.* 6. *a.* 1. *n.* 25.

§. XIX.

Diem autem anno Jure Lubecensi adjectum, cujus rationem videsis apud JCtissimum Meu. *L.* 1. *Tit.* 8. *a.* 1. *n.* 12. non sicuti de Jure Saxonico, continere spatium 6. Septimanarum, sed vnicum diem, praeter 365. dies, quibus annum constare nouimus, colligere est ex praelaudato *Meuio d. l.*

§. XX.

Septimvs priori proxime affinis de Jure Lubecensi Resignationis Judicialis effectvs est, quod, quanquam de Jure Ciuili alienans pro pretio emtorem indemnem seruare, indeque ex natura emtionis, Sichard *ad Rubr. C. De Euict. n.* 9. Wesenbec. *in ff. eod. n.* 2. ad euictionem, etiamsi nihil de ea conuentum sit *L.* 6. *C. De Euict. L. Exemto. u. ff. De A. E.* accipienti teneatur. Vid. Brunn. *ad d. L.* 6. *inibique alleg. Dd.* idque tam diu, quam diu tempora vsucapionnm nondum sunt finita; haec quidem Jure Lubecensi se secus non habeant, modo tamen id speciale hic notemus, quod facta *resignatione*, post annum et diem venditor emtori ad euictionem

amplius non obligetur *a. 1. L. 3. Tit. 6.* Quod Jure Ciuili secus. Cujus hanc credo subesse rationem, quod post annum et diem res alienata a nemine, possit emtori euinci, ergo frustra vltra annum quis euictionis vrgeret praestationem.

§. XXI.

Octavvs Resignationis Judicialis effectvs est, quod hac legitime facta liceat emtori, alia non expectata traditione, vacantem rei venditae possessionem occupare, non vacantem autem sine strepitu judicii ac litis suffamine adjudicatione impetrare. Meu. *ad art. 1. Tit. 6. Lib. 3. n. 11.*

§. XXIII.

Alios, si qui sunt, *Resignationis Judicialis* effectus, temporis, quo excludimur, ratio, ac itineris instantis meditatio, curatius rimari haud permittunt; quare velis Disputationis hac vice contractis, a Te, Candide Lector, vt si quaedam minus exasciata irrepserint, politiori corrigas Judicio, ac in meliorem pro tuo candore partem interpreteris, ea qua decet humanitate contendimus. Tibi vero, Ter glorioſe Deus, pro ea, quam nobis clementissime largitus es, gratia, gratias nuncupamus nunquam desituras, Tuaeque prouidentiae omnia porro conamina nostra submissa mente commendamus.

T A N T V M.

COROL-

COROLLARIA.

Inter irrationabiles Opificum consuetudines non vltimum sane meretur locum, quae injuriato opificii exercitio tam diu interdicit, donec famam suam contra injuriantem legitime defenderit. Vid. Ref. Pol. de Ao. 1577. Tit. Von Handwercks-Söhnen. *Proceditur enim hic inuerso prorsus ordine, cum jura non injuriato, sed injurianti poenam infamiae dictitent.* L. 1. ff. De his, qui not. infam.

2. *Quanquam ex communi Doctorum sententia Clausula Codicillaris omnia testamenti vitia, quae ex inhabilitate testatoris et ex defectu voluntatis non oriuntur, sanare dicatur, adeo, vt praeteritionis et iniquae exheredationis impedimentum per illam tolli asserant.* Fab. Turret. De Effect. Claus. Codicil. qu. 24. n. fin. Vasqu. De Succeſſ. creat. L. 2. §. 20. n. 251. *Nos tamen rectius dici opinamur: Hanc Clausulam plane nullum, imo ne minimum quidem solennitatis defectum sanare, cum, quo casu vi illius Clausulae testamentum sustinetur, illud tale esse desinat et in codicillos degeneret, scriptis heredibus non integram haereditatem, sed detracta quarta dodrantem saltem consecuturis.*

3. *Legitimam, qua talem, Statutis plane tolli posse, juri non aduersatur.*

4. *Collateralibus neque jure naturali, neque jure ciuili praecise fratris deberi hereditatem, sed etiam sine caussa in Conscientiae foro a Fratre eosdem praeteriri posse, inopem si exceperis fratrem, dissentiente licet* Sutholt: Diss. 11. ad Inst. Corroll. 1. *asserere nulli dubitamus.*

5. *Licet Obligationes ad Obstagium* Zum Einlager *Per Refor. Polit. de Ao. 1577. Tit. 17.* Von Wucherlichen *Contracten.* §. wie woll auch. *sub Cassatoria clausula interdictae sint.* Gail. 2. Obs. 46. Hering. *De fidejussor. c. 17. n. 69.* Carpzou. *P. 2. C. 22. D. Penulo* Berlich. *P. 2. Concl. 28. n. 160. renunciatione etiam*

etiam jurata Coler. *De Proceſſ. Execut. P. 1. c. 8. n. 89. hujus, ceu publici et prohibitiui Juris, nilquicquam valitura arg. L. 5. C. de* LL. Dalner. *De Renunciat. c. 9. n. 1. ſeq. quin tamen vi Inſtrumenti Pacis Oſnabr. a. 8. §. De Indaganda, in fin. et Ordinat. Prouincialis Haderslebienſis de Ao. 1604. in Patria recte obſeruetur, ſublatoque abuſu, nil vitii contineat. Vid. Dn.* Tabor. *De Obſtag, c. 4. n. 4. Debitore propitio Jure ſe ad arreſtum vbicunque locorum deprehenſus fuerit, nec non ad carcerem obligare valente, cum.* Strykio *Tr. De Caut. in Contr. neceſſ. Sect. 2. c. 1. §. 37. aliisque magni nominis JCtis defendere ſuſtinemus.*

6. Das Stand-Recht, *rectius dicitur* das Strand-Unrecht, *cum omni juri refragetur, C. C. C. art. 218.*

7. *Cujus filiam vxorem ducere non licet, ejus tamen neptem ducere permittitur, contra Regulam* §. 3. J. De Nuptiis. *quae ſano tamen ſenſu vtique procedit.*

8. *Rationem, cur annulus pronubus quarto inſeratur in publico copulationis actu digito, ſc. quod in eo vena quaedam ſanguinis ad cor vsque perueniat. Vid. c. 7.* Cauſſ. 30. qu. 5. *recentiorum Medicorum obſeruationi contrariari, recte docet* Cyprae. De Sponſal. c. 11. §. 4. n. 6. et Lauterb. Diſſ. De. Arrha th. 63.

9. *Vulgaris ſubſcribentium clauſula:* Doch mir und meinen Erben unſchädlich, *cautela abundans eſt.* Moller. *ad Conſt. Sax. 52. n. 17. P. 2.* Coler. *De Proceſ. Execut. P. 3. c. 1. n. 135. Sicuti et illa contractibus inſeri ſolita:* Für mich, mein Erben, und Erbnehmen, *tanquam abundans cautela per L. 13.* C. De Contr. et comm. ſtipul. *L. 38. §. 13. L. 56. §. 1. ff. de V. O. membranam ſaltem occupare videtur.* Coler. *De Proceſſ. Execut. P. 1. c. 10. n. 32 exceptis negotiis ſui natura ad heredes non tranſitoriis. vid. R. I. de Ao. 1654. §.* damit auch zum vierten etc. *inque quibus perſonae induſtria eligitur.* Stryk. *d. Tract. Sect. 1. c. 4. §. 15.*

FINIS.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1780201907/phys_0072
DFG

…ionem. Cardinal. Tuſch. *Tom. 6. Pract. Concl.* …ail. 2. *Obſ. 19. n. 18.* Zanger. *De Except. P. 3. c.* …Odde *De Reſt. in integr. P. 2. qu. 90. a. 4.* Boer *Dec.* 10.

§. XVIII.

Abſen…*aturaliter*, alios *ciuiliter* tales nulli non notum eſt. …nnus et dies demum a tempore currat ſcientia… *dicta*, his v. gr. Furioſis, Mente captis, Pupil… ſ etc. a quo annus currat tempore videndum? …illis annum et diem cedere ab illo tempore, …bus habentur, i. e. quo ad intellectum rerum … Meu. *ad Jus. Lub. Lib. 6. a. 1. n. 25.*

Diem autem anne… …nſi adjectum, cujus rationem videſis apud J… *L. 1. Tit. 8. a. 1. n. 12.* non ſicuti de Jure Saxon… ſpatium 6. Septimanarum, ſed vnicum diem, …ies, quibus annum conſtare nouimus, colligere … dato *Meuio d. l.*

§. X…

SEPTIMVS priori proxime affinis … becenſi Reſignationis Judicialis EFFECTVS eſt, … am de Jure Ciuili alienans pro pretio emtorem … are, indeque ex natura emtionis, Sichard *ad* … *uict. n. 9.* Weſenbec. *in ff. eod. n. 2.* ad euictionem … l de ea conuentum ſit *L. 6. C. De Euict. L. Exemto* … *E.* accipienti teneatur. Vid. Brunn. *ad d. L. 6.* … *Dd.* idque tam diu, quam diu tempora vſucap… am ſunt finita; haec quidem Jure Lubecenſi ſe … ant, modo tamen id ſpeciale hic notemus, qu… *natione*, poſt annum et diem venditor emtori a…

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1780201907/phys_0073
DFG